



**Adami Tanneri E Societate Iesv, S. Theologiæ D. Et In  
Academia Ingolstad. Professoris, Theologiæ Scholasticæ  
Tomus ...**

Cum triplici Indice

De Fide, Spe, Charitate, Iustitia, Religione, caeterisq[ue] virtutibus [et]  
vitijs: ac varijs hominum statibus. Secvndæ Secvndæ S. Thomæ  
Aqvinatis Respondens

**Tanner, Adam**  
**Ingolstadii, 1627**

Quæstio VII. De varijs contractibus Iustitiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72877](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72877)

dicet: si ex bonis paraphernalibus restituere alijs possit, &c.

443 Nec tamen spurius filius, etsi nôrit matrem adulteram fuisse, credere tenetur ipsi etiam iuranti, se ex adulterio natum. Quia ex regulis Iuris, alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides, saltem cum tanto præiudicio: imo si bona fide adeptus est hæreditatem, forte non tenetur ex statu decidere, quamvis postea resciscat factum; satis est, si restituat, quantum saluo statu potest, vt docet Salon, & colligitur ex dictis n. 429.

444 Colligitur III. Quid sentiendum sit de ingressu Religionis; nam si quis breui & facili via creditoribus ante ingressum satisfacere possit, peccat ingrediendo, vt recte Medina quæstion. 3. Carbo quæst. 85. Valencia citatus, Petrus Nauarrus libro 4. cap. 4. numero 94. Lopez 1. part. cap. 129. Lessius lib. 2. cap. 16. numero 72. quamvis professio valeat, cum persona sit libera, iuxta Sanctum Thomam infra. Quod si quis vero breuiter & commode satisfacere non possit, probabile est, posse facta bonorum cessione, religionem intrare, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. vltim. art. 6. ad 3. Caietanus ibidem, Petrus Nauarrus citat. numero 94. Syluester V. Religio 2. quæstione 4. & apud

eundem Ostiensis, Innocentius, Raimundus & alij. Quia nemo tanto suo incommodo obligatus est ad restitutionem, vt pluribus dicitur disp. 6. q. 3. dub. 5.

Colligitur IV. Ob excommunicationem creditoris, nou nominatim excommunicati, neque notorij percussoris Clericorum, non licite differri restitutionem, ex communi: etsi contrarium velut probabile generatim asserat Lessius cap. 16. dub. 9. post Adrianum, Panormitanum, & glossam.

Idem ex probabiliori dicendum, etsi quis nominatim sit denunciatus (vtrumque interrim in foro externo tali non detur actio, iuxta cap. Pia. de exceptionibus in 6.) vt recte Maior, Medina, Couarruias, Valencia citati. Carbo quæstione 85. Lessius ibidem, & alij communitè: nisi forsan debitum non sit ex re, sed ex nuda promissione contractum; tunc enim probabile est, aliquem liberari ab obligatione, quamdiu durat talis excommunicatio creditoris, iuxta cap. Nos sanctorum & seq. causa 15. quæst. 6. vt etiam cum Medina sentit Carbo & Lessius; etsi contrarium non sit minus probabile, apud eundem. Hæc de restitutione satis.

## QVÆSTIO VII.

### De varijs contractibus Iustitiæ.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 77. & 78.

**P**ost tractationem de Restitutione agit S. Thomas de vitijs & peccatis iustitiæ oppositis; hacque occasione etiam de contractibus: sed quia ipsi etiam contractus per se actus quidam proprij sunt iustitiæ, prius de his, quam de vitijs iustitiæ oppositis agemus. Absoluetur autem hæc quæstio vndecim dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit contractus in genere; & quomodo vel perficiatur, ac iuramento roboretur; vel etiam metu, dolo, aut errore irritus reddatur; deque restitutione in integrum, si ex aliquo contractu damnnum notabile acceptum sit. II. De iustitiæ emptionis & venditionis, tam ex parte pretij, quam rei vendite, & aliarum circumstantiarum. III. De Contractu mutui; eiusque vitio, nempe usura. IV. De Censibus, seu contractu censuali; eiusque iustitiæ & iniustitiæ. V. De Cambijs eorumque iustitiæ & iniustitiæ. VI. De locatione, conductione, emphyteusi & feudo. VII. De alienatione bonorum Ecclesie, præcipue per feudum & emphyteusim; deque speciali quodam contractu Bauariæ, quem dominicum fauorem appellant. VIII. De contractu Societatis; & quodam innominato soluendi quinque in centum. IX. Quidnam in particulari iudicandum, de varijs contractibus, his proximis annis, vbi moneta valor adeo excreuerat, vsuatis. X. De quodam quasi contractu; nempe de Tutela; speciatim ad quid obligentur tutores & curatores. XI. De Testamentis, alijsque vltimis voluntatibus.

## DV B I V M I.

Quid, & quotuplex sit contractus in genere; & quomodo vel perficiatur, & iuramento roboretur; vel etiam metu, dolo, aut errore irritus reddatur; de restitutione in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceptum sit.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 77.

S. Anctus Thomas acturus de contractibus voluntariis, & iniustitia, quæ in ijs potest intervenire, incipit ab emptione velut notiori, de qua nos dub. sequenti agemus; acturi prius de contractibus in genere hoc dubio: in fine etiam subiungemus quosdam contractus à S. Thoma prætermisissos.

Quæritur igitur primo, quid & quotuplex sit contractus in genere; & quo modo perficiatur.

ASSERTIO I. Contractus late nil aliud est, quam pactum, adeoque mutuus consensus & conventio duorum; stricte autem & proprie est vltro citroque obligatio, seu potius conventio mutua, quæ vltro citroque obligationem pariat. Ita habetur ex l. *Contractus* 16. C. de fide instrumentorum; & l. *Labeo* 16. ff. de verborum significatione; Prioris generis sunt donatio & promissio acceptata, ex citat. l. *Contractus*; quia ex vna tantum parte obligationem pariunt. Posterioris, emptio, venditio, mutuum, &c. Promissio vero non acceptata, nullo modo est contractus, vel pactum, quia nullam inducit obligationem.

ASSERTIO II. Cum ad omnes quidem contractus requirantur consensus ac verba, vel certe signa quadam externa; alij tamen speciatim dicuntur re, alij scriptura seu litteris, alij verbis, alij consensu perfici. Ita ex communi Syluester V. *Contractus*, Molina tom. 2. disp. 254. & seqq. & Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 2. & habetur expresse Instit. de obligationibus. lib. 3. tit. 14.

Declaratur ibidem titulis sequentibus; Re enim perficiuntur, qui requirunt rei traditionem, vt depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio, quæ seclusa traditione dicuntur nuda pacta.

Scriptura perficiuntur, qui sine scriptura non habent robur, vt emphyteusis alijque contractus, quos ipsimet contrahentes, nolunt absque scriptura esse ratos.

Verbis perficiuntur stipulationes, quæ constât interrogatione vnius, & responsione alterius, vt Facies? Faciã. Dabis? dabo. Promittis? promitto &c. vt videre est in Instit. de verborum obligationibus.

Consensu perfici dicuntur, qui nõ regunt certam verborum formulã, sed contenti sunt sensu vtriusque verbis aut signis vtrinque explicato.

ASSERTIO III. Pactum siue Contractus varie diuiditur: primo diuiditur in explicatum & implicitum, seu formalem & virtualem, qui etiã quasi contractus dicitur, vt tutela, & quoduis aliud officium mandatum.

Secundo in *nominatum*, vt est emptio, venditio, mutuũ, conductio, locatio, societas, commodatum, pignus, depositum &c. & *innominatum*, qui non habet nomen speciale, sed generale tantum, cuius quatuor sunt species: Do vt des; non pretium pro re, seu rem pro pretio, quia tunc esset emptio; sed rem aliã pro aliã, seu alterius speciei, &c. Do (non pretium, quia tunc esset conductio sed rem aliã, vt panem, vestem) vt facias. Facio vt des (non pretium, sed quid aliud, vt dictum) Facio vt facias.

Ex quibus contractibus etsi quidem statim oriatur obligatio naturalis, adeoque in foro conscientie, non tamen ciuilibis, nisi ex altera parte sit impletus, vel nisi vestiatur formula stipulationis, aut iuramento, aut alia ratione, vt videre est apud Syluestrum V. *Pactum* quæstion. 5. & 8.

Tertio alij contractus dicuntur *Bona fidei*; in quibus nempe iudex multa potest ex æquo & bono arbitrari; vt sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & similes. Alij sunt *stricti iuris*, in quibus Iudex ad verba astringitur, vt in stipulationibus, contractu feudali, & emphyteutico, in promissione liberali, & donatione, vt pluribus Couarruias ad regulam *Possessor* part. 2. §. 6.

Quarto, alij contractus sunt *onerosi*, ex parte, scilicet vtriusque partis. Alij dicuntur *lucratiui* seu *gratuiti*, ex parte nempe vnius, à quo nihil recipitur, vt est promissio, donatio, commodatum, precarium; item testamentum & legatum.

Quinto, Contractus seu pactum aliud dicitur nudum, vt est contractus innominatus, secluso alio firmamento, vt dictum; item omnis contractus, qui re perficitur, ante rei traditionem, vt donatio, mutuum. Aliud pactum dicitur *vestitum*; quod habet aliquid amplius, vnde etiam iure ciuili robur obtineat, quales sunt omnes contractus nominati, atque etiam innominati, si aliquo extrinseco firmentur, vt stipulatione, iuramento, vel alio modo, de quibus plura Syluester V. *Pactis*, n. 2. Lessius dub. 3. & 4.

Contractus vero seu pactum nudum parit quidem obligationem naturalem, ac in foro conscientie; sed non ciuilem, nisi in quibusdã casibus, vt donatione verbali acceptata, promissione dotis, &c. iuramento autem confirmatum, ex suo genere parit obligationem in vtroque foro, vt ex communi docent Couarruias in cap. *Quamuis pactum*; par. 2. §. 4. Molina tom. 2. d. 256. & post Gomezium tom. 2. c. 9. Lessius du. 4. qui id ex iure pluribus confirmat, & de iuramento mox pluribus dicitur.

Vnde quæritur secundo, an & qua ratione contractus per se inualidi iuramento confirmantur. De hac re magna est inter Doctores disputatio, vt videre est apud Couarruiã loc. cit. Azorium tom. 1. lib. 11. c. 7. q. 1. & Sanchez l. 1. de matrim. disp. 32. aliosque citandos. Quidã enim sentiunt, nullũ

contractū iure prohibītū, confirmari iuramento, nisi forte in casibus à iure expressis. Alij confirmari omnes, si iure humano solum sint irriti, vt eum alijs docet Azor. Alij rectius distinguunt, vt videbimus.

7 Vnde supponendū primo ex Sanchez cit. d. 3. 2. n. 6. & Lessio. l. 2. c. 17. du. 7. n. 50. aliud esse, iuramentū contractū additū esse validū & obligare dum relaxetur; aliud, iuramentum confirmare contractū. Primum enim sit, quotiescunq; iuramentū est de re licita, etiam si alteri, cui sit, nullū ius interim accedat, adeoq; contractus, nō minus quā antea, sit irritus. Altero autē casu, ius etiā ad hāeres peruenturū tribuitur ei, in cui⁹ fauorem contractus est iuramento firmatus. Vnde fit, vt quamuis iuramentū relaxetur, maneat tamē obligatio iustitiæ ex contractū, quæ transit ad hēres. Exemplum primi casus est, pollicitatio nuda, seu nō acceptata, quæ etiam si iuramento firmetur non tamen tribuit ius vel actionem alteri: vt contra Couarruuiā loc. cit. recte docet Lessius c. 17. dub. 4. etsi circa rem lege non prohibētā, vi ipsius iuramenti seruanda sit; nisi alter etiā cognitā nolit acceptare, aut remittat, vt patebit disp. seq. de iuramento, & dictum etiam supra q. 1. n. 62. & q. 6. num. 327.

Supponendum secundo, iuramentū, per quod firmand⁹ est contract⁹, debere esse tale, quo contrahens iuret, se contractū semper ratū habiturū, nec vnquā reuocaturū. Si enim iuret tantū, se pmittere, donare, vendere, nō firmabitur cōtract⁹, vt pote qui nō minus quam antea potest reuocari.

His positis statuuntur duæ regulæ, à Iuris peritis cōmuniter receptæ apud Couarruuiā in cit. cap. *Quamuis pactū*, par. 2. Azoriū, Sanchez loc. cit. & Sa V. *Iuramentum* n. 19. Prima est: Contractū irritum seu prohibītū, principaliter in fauorem publicum, non confirmari iuramento; imo ipsum etiā iuramentū esse inualidū. Hanc regulā sequuntur etiā Sa & Sanchez loc. cit. Probatur ex cap. *Si diligenti*, de foro competenti, vbi dicitur, irritum esse pactū iuratū, quo Clericus fori privilegio renūtiat; eo quod illud in fauorē totius status Clericalis sit concessū. Ratio est: quia tale iuramentū, etiā ex parte rei iurata, est contra bonos mores, & in præiudicium tertij, ac proinde irritum, ex cap. *Cum contingat*, de Iureiurando.

8 Secunda regula est; contractum iure positiuo prohibītū, aut irritū, principaliter ob fauorē priuatum contrahentis, firmari iuramento, sine vi, doloq; interposito: nisi reprobatus sit odio, & ob turpitudinē creditoris, in cuius fauorem iuratur. Ita etiā Sanchez & Sa loc. cit. Prior pars probatur ex c. 2. de pactis in 6. & authent. *Sacramenta puerū*, Cod. Si aduersus venditorē; vbi contractus, minorum fauore nulli, confirmantur iuramento. Et cap. *Cum contingat*, de iureiurando, & c. 2. eod. tit. alienatio fundi dotalis, mulierum fauore nulla, firmatur iuramento. Ratio est: quia pactū priuatorū potest derogare iuri priuato, non autem publico, cap. *Si diligenti*, de foro competenti, & leg. *Iuris gentium*, §. *Si promissus*, ff. de pactis.

Posterior pars regulæ probatur ex cap. *Debitores*, de Iureiurando, vbi licet iuramentū soluendi vsu-

ras præcipiatur seruari, statim tamen conceditur repetitio: quod est signum, solutionem non ex vi contractus, sed solum vi iuramenti fuisse exhibendam. Eadem est ratio, quotiescunq; iuramentum vi aut dolo extorum est: imo quoties iure naturali nullum est.

Ceterum Lessius l. 2. c. 17. du. 7. etiam has regulas nō improbet; quia tamen eas nō satis putauit expeditas, ad particulares casus diiudicandos; cum, in particulari sepe valde ambiguū sit apud Doctores, quando nā contractus ob fauorē priuātū, quādo ob publicū fauorē seu bonū sit prohibitus, idcirco ipse duas alias statuit. Prima, contractū iure naturæ irritū non firmari iuramento, etsi hoc seruandū sit, dū relaxetur, si non sit de re illicita. Exemplum retulimus antea, in pmissione nō acceptata.

Secunda, Quando actus talis est, vt ipse, vel promissio illius ratificandi, vel nō reuocandi, inducat obligationē naturālē, confirmatur iuramento; etiam si alias iure ciuili sit irritus, vel in irritū reuocabilis; modo vis & fraus non intercesserit: si vero nec ipse, nec promissio illius inducat vllam obligationē, ne naturālē quidē; vel si vis & fraus intercesserit, nō confirmatur iuramento, etsi hoc casu seruandū sit iuramentum, dum relaxetur. Ita Lessius cit. du. 7. nu. 55. & 56. ex Bartolo in l. *Si quis pro eo*, ff. de fideiusoribus & mandatoribus, alijq; Doctoribus, iuxta authenticam *Sacramenta puerum* Cod. Si aduersus venditorē, & citat. cap. *Quamuis pactum*, de pactis in 6.

Sed certe non minor sepe solet esse questio, quānam contractus iure phibiti, naturālē inducant obligationem, qui non, vt colligitur ex dictis q. 6. dub. 13. quā qui ob fauorē publicū, aut priuatum sint phibiti. Quocirca nec ista regula omnē difficultatē tollit: eas tamē equidē ita accipio, quaten⁹ conducere possunt ad priores duas receptas regulas explicandas, non autē destruendas. Ad quartū sensū etiā accipiendū videtur illud, quod idē Lessius du. 4. n. 25. vniuersim pronuntiat, contractū qui iure ciuili est irritus, si iuramento confirmetur, tribuere actionem etiam iure ciuili, modo non sit contra bonos mores.

Exempla vero, in quibus contractus alias inualidi iuramento confirmantur, ex veteri sententia, iuxta supra dictas regulas, sunt; cōtractus minoris de re mobili, sine autoritate iudicis; donatio inter Patrem & filiū nondū emancipatū; itē inter maritū & vxorē; pmissio soluendi & nō repetendi, quod credito vel ludo vetito amiseris; fideiussio mulieris facta sine iuris solemnitate, quamuis publico instrumēto; renuntiatio futuræ successiois in paterna hēreditate, de qua c. 2. de pactis in 6. alienatio fundi dotalis, aut rei donatæ ppter nuptias, facta sine auctoritate iudicis, de quo cap. *Cum contingat*, de iureiurando; item promissio instituendi hunc hēredē, aut nō reuocandi testamentū; donatio facta absq; insinuatione vltra 500. solidos, & plura similia, de quibus Lessius dub. 7. n. 56.

Quaritur II. An & quo modo contractus metu, vel dolo, seu errore irritus reddatur? De metu dictum supra de restitutione q. præced. du. 1. 1. quæ hic suppono. De dolo & errore sit

11 ASSERTIO I. Error in altero contrahentium, circa substantiam rei, facit contractum iure naturæ irritum, saltem ex parte decepti. Ita ex communi omnium Molina disp. 340. & Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5. numero 27. Ratio est. Quia deest substantialis consensus; vt si vitrum pro gemma vendatur; aut gemma pro vitro ematur. Idem patet in matrimonio.

Vnde procedit ista assertio, siue id per dolum alterius contrahentis acciderit, siue vtriusq; bona fide, nihilominus enim alter contrahens est indemnis seruandus, vt cum S. Thoma hic questione 77. a. 2. docent communiter omnes: quia ex quo contractus nullus fuit, damnus ex vitio rei consequens ad venditorē pertinet; sub hac enim tacita conditione fuit inicitus.

12 ASSERTIO II. Si non sit error circa substantiam rei, contractus est validus; modo dolum & error non det causam contractui. Ita ex communi post Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 17. §. 6. Caietanus hic questione 77. articulo 3. Sotus libro 6. questione 3. articulo 2. Lessius n. 28. Idem sub alijs terminis docet Molina disput. 259. & disputation. 352. numero 13. cum ait: Dolus incidens in contractum, non irritat contractum. Ratio. Quia iste vere consentit in emptionem istius rei, sciens & prudens, absque metu & fraude, & quamuis errauerit circa qualitatem aliquam, voluit tamen nihilominus contrahere: propterea enim dicitur dolus causam contractui non dedisse. Neq; vero opus est, omnes qualitates scire. Idē patet in matrimonio, cum quis ducit pauperem, quam diuitem existimat, quicquid sit interim de conditione seruitutis, de qua suo loco. &c.

13 Quo fit, vt contractus sit validus, etiam si quis deceptus sit in pretio ultra dimidium; quia iste dolus non dedit causam contractui, sed tantum auctiori pretio: ad æqualitatem ergo reduci debet; sed sine consensu emptoris rescindi non potest, vt patet ex cap. Cum dilecti, de emptione & venditione, & glossa ibidem & l. 2. C. de rescindenda venditione.

14 ASSERTIO III. Quandocunque latens defectus expressè & positivè aduersatur voluntati emptoris, habentis videlicet hanc positivam & actiuam voluntatem, volo emere, si res tali defectu caret; si autem secus, nolo emere, ita vt proinde formale & primum obiectum sit, res carens eo defectu, aut saltem carentia illius defectus sit conditio sine qua non vult emere, contractus in conscientia est nullus. Videtur certa & communis Theologorum, & aperte traditur post Panormitanum in cap. In iustum, de rer. permut. Contractum de contractibus q. 54. à Ioanne Medina Cod. de resit. q. 34. Gabriele 4. d. 15. q. 10. art. 3. Syluestro V. Emptio q. 20. Nauarro Man. c. 23. n. 87. Valentia q. 20. pu. 4. Petro Nauarro lib. 3. c. 2. n. 54. Ratio. Quia omnibus his casibus, emptio est simpliciter inuoluntaria.

15 Quo fit, vt assertio procedat, etiam si dolus ex parte venditoris non intercesserit, & licet vitium fuerit alioquin manifestum, vt recte docent Petrus Nauarrus, Medina, & Valentia; quicquid dixerit Sotus, idq; siue emptor labore ignoran-

tia inuincibili, siue vincibili, vt recte cum Medina docat Valentia; quicquid dixerit Nauarrus.

Verum est tamen, in foro externo, emptorem suam causam non euicturum, si vitium per se fuit manifestum; nisi aperte cauerit sibi, cum altero contractum celebrans, suamq; intentionē aperte declarauerit. Idē patet in contractu matrimoniali.

16 ASSERTIO IV. Imo in foro conscientia, quotiescunq; dolus alterius contrahentis dat causam contractui; ita vt alter non contraxisset, si à contrahente deceptus non fuisset, contractus ex parte decepti non est firmus, à quo proinde licite recedere potest, siue error fuerit in qualitate, siue in substantia. Ita Molina d. 259. nu. 5. & d. 35. cum Conrado in sumario operis, de contractibus ad q. 57. Couarruua in regulam Possessor, par. 2. §. 16. n. 6. & alij. Et consentit in re Lessius cit. du. 5. n. 31. asserens, eiusmodi contractum, ante omnem sententiam Iudicis, esse rescindendum à decipiente, nisi libere ratificetur à decepto: licet sit validus secundū quid, in fauorē decepti, si ratificetur; quod etiam in simili de contractu per metum inico docet, & magis patebit n. 20.

17 Ratio est, non quod in tali contractu sufficiens voluntariū absolute non adsit, vt nonnulli dicunt; sed quia res per iniuriā extorta est; atqui substantiale contractus per iniuriā extortū ab altero contrahente, nil potest eum iuuare; quia vis & fraus nemini patrocinari debent. Accedit quod metus & dolus in iure censentur paria l. Si dolo, de inutilibus stipulationibus, & cap. Cum contingat, de iureiurando: cum ergo contractus per metum iniustum ab altero contrahente iniectum sit nullus, ita saltē, vt vim passus eo non teneatur, nisi forte postea sponte ratificet, vt dictum q. 6 du. 11. idem etiam in proposito dicendum erit.

Et optime hoc etiā loco notat Molina d. 353. n. 6. cū glossa in l. Et eleganter ff. de dolo, rescissionem contractus non semper arguere valorē contractus in foro exteriori, sed quandoq; tantū eo spectare, vt ipso facto contractus reuocetur, etiā compellente Iudice; de quo plura supra de metu cit. quest. preced. dub. 11.

18 Excipit tamen recte Molina loc. cit. ex communi, contra Medina q. 33. contractū matrimonialem, qui ob peculiare fauorē & priuilegiū validus est, tametsi per fraudem alterius contrahentis error acciderit circa qualitatem, v. g. nobilitatem, diuitias &c. nisi sub hac tantū conditione præstitus fuerit consensus, vt in præcedente assertione dictum, Quo modo autē hoc verum sit, an etiam iure naturali, an vero ex dispositione tantum iuris positivi, adeoq; in foro externo tantum, non interno; alibi dicendum.

19 Dixi vero, in foro conscientia; quia in foro externo aliter est sentiendum, & communiter quidē Iuristæ distinguunt inter contractus; etenim contractū bonæ fidei irritū esse, si dolus partis causā dederit, eos autem, qui vocantur stricti iuris, esse validos, donec actione doli mali elidantur, vt post Couarruuiam in regulam Possessor 2. par. §. 6. nu. 6. docet etiam Molina loc. cit. & tanquam probabilem refert Lessius n. 31.

Alij vero quidam Iuristæ apud Couarruuiam

citatum, putant, eiusmodi distinctionem parum in iure fundatam; & utrosque contractus in foro externo esse validos, donec elidantur, saltem ipsa voluntate decepti contrahentis. Quam sententiam probabilem dicit Lessius n. 31. ex l. *si dolo* C. de rescindenda venditione.

20 Dixi secundo, ex parte decepti; quia quod attinet ad deceptorem, multo probabilius est, eum debere implere contractum, si deceptus velit; nõ tantum post, sed etiam ante sententiam Iudicis, ex cap. 1. de eo qui duxit, &c. ut docet Molina citat. disp. 352. n. 8. post Richardum in 4. dist. 36. q. 1. Syluestrum V. *Marrimonium* 8. quæst. 2. Nauarum cap. 22. n. 31. Et si negent Conradus de contractibus q. 57. Ioannes Medina de restit. q. 33. Sotus 4. dist. 35. q. 1. a. 2. apud Lessium n. 32. qui utramque sententiam censet probabilem.

Sed prima est probabilior; non solum quod alter contrahens, saltem vi promissionis manet obligatus; item quod ex dispositione legis positivæ debet stare contractui, quem fecit; sed etiam quia cū ex sua parte, & quātū in se erat, sufficienter ac libere consenserit in contractū, si modo alter contrahens etiam consentiret; certe si hic postea libere velit contractui stare, naturalis æquitas postulat, ut alter maneat obligatus; præsertim cum vis & dolo nemini debeat patriocinari

21 ASSERTIO V. Quando dolus non alterius contrahentis, sed cuiusdā tertij, absque culpa contrahentis, causam dedit contractui; tunc contractus extra casum primæ & tertiæ assertionis non est irritus. Ita ex comuni docent Molina n. 11. & Lessius n. 33. post glossam in cap. *Cum dilecti*, de emptione & venditione, Bartolum in l. *Et eleganter* ff. de dolo, in principio, Covarruuiā in regulā *Possessor*, par. 2. §. 2. n. 6. Ratio, quia adest hic sufficiens voluntariū, nec per iniuriā ab altero contrahente extortū. Idē in simili q. 6. dub. 11. de metu dictum. Confirmatur. Nā inuoluntariū ortum ex errore causæ, seu motiui, quo quis inducitur ad contrahendum, aut aliarum circumstantiarum, non vitiat contractus onerosos: Secus de donatione, &c.

Lessius tamen n. 33. probabile putat, in cōscientia posse irritari à decepto, si per ignorantiam inuincibilem erroris contraxit, post Conradū & Medinam citatos à Molina disp. 352. n. 12. Qui tamen rectius contrarium sentit, ratus solummodo dari actionem contra deceptorem.

22 ASSERTIO VI. Dolus causam contractui non præbens, sed incidens in contractum, non irritat contractum, tamen ab ipso contrahente altero causatus. Ita Molina disp. 259. & disp. 352. n. 13. & colligitur ex secunda assertione; hoc ipso enim quod non est circa substantiam, nec alioquin causam dedit contractui, vocatur dolus incidens. Atque hæc omnia etiam Molina disp. 352. n. 18.

23 Quæritur tertio, an, quando, & quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu nõtabile damnum senserint.

Respondetur breuiter sequētibz pronūciatis, I. Restitutionem in integrum non habere locum, vbi contractus omnino fuit irritus. Constat ex l. *In cause*, ff. de minoribus.

II. Id beneficium concedi minoribus, (nempe

annis 25; expletis) etiam si in contractu autoritas Tutoris, Curatoris, vel Iudicis intercesserit, ex l. 1. & sequentibus, ff. de minoribus, & ff. de in integrum restit. Et durat hoc privilegium vsque ad annum 29. completum, seu quatuor annis integris, post expletū annum 25. ætatis, ex l. fin. Cod. de temp. restit. in integrum.

III. Cõcedi 2. etiā Ecclesiæ, alijsq; pijs locis, ex comuni DD. itē 3. supremis principibus, si bona Reipub. alienata, & Reipub. cuiusvis oppidi, ex l. 4. C. Quib<sup>9</sup> ex causis maiores. 4. Vniuersitati studiorū, iuxta Panormitanū in ca. de in. restit. 5. Interdum etiam rudibus, vt mulieribus & rusticis qui iura ignorant, apud Molinam disp. 574.

IV. Et nõnulli existimēt, posse etiā repeti fructus ex re perceptos, deductis expensis, verius tamen esse, in foro conscientię non posse; nisi res minoris contractu gratuito sit alienata, vt docent Molina 575. & Lessius l. 2. c. 17. du. 10. Aut nisi res iusto pretio vendita non sit; tunc enim ea fructuum pars repeti potest, quæ respondit rei in quantum hæc excedit pretiū, vt bene Lessius ibidem. Plura hæc de re supra q. 1. dub. 6.

## DVBIVM II.

*De Iustitia Emptionis ac Venditionis, tam ex parte pretij, quam rei venditæ, & aliarum circumstantiarum.*

S. Thomas 2. 2. q. 77. aa. 4.

24 Quæritur primo, circa primam huius dubitationis partem, an & qua ratione vitietur emptio aut venditio ex parte pretij.

25 ASSERTIO I. Contractus hic, si quæ circa pretium iustum fraudatio acciderit, vitietur, ac ad restitutionem obligat fraudati pretij; tamen in externo foro fraudantes infra dimidium iusti pretij ad nullam restitutionem cogantur, iuxta cap. *Cum dilecti*, & cap. *Cum causa*, de emptione & venditione & l. 2. & 8. C. de rescindenda venditione. Ita communis & certa apud S. Thomam hic q. 77. a. 1. Bartolum in ciratis ll. Valentiam q. 20. punct. 2. Covarruuiam lib. 2. variarum cap. 3. & 4. Quicquid fraudantes infra dimidium iusti pretij aut non peccare dixerit quidam Durandus Minorita apud Antoninum 3. par. tit. 1. cap. 16. aut ad restitutionem non teneri putatit Gerson opusc. de contractibus, part. 2. propositione 11. Ratio patet; quia res iniuste acquisita obnoxia est restitutioni; nec leges eam obligationem sustulerunt, sed solum in minore fraude negarunt actionem, ne nimium multiplicentur contentiones forenses.

26 ASSERTIO II. Iustum rei pretium est, quod æquale est rei venditæ, habito respectu ad id tempus quo ea traditur emptori. Ita ex comuni Azor tō. 3. l. 8. c. 10. q. 1. Lessius ib. 2. cap. 34. dub. 7. n. 63. Ratio est. Quia pro eo primum tempore acquiritur dominium mercis. Excipit tamen Lessius ibidem, nisi ex causis extrinsecis tempore contractus minoris æstimetur. De quo infra.

ASSERTIO

27 **ASSERTIO III.** Iustum rei pretium duplex est; vnum legitimum, quod à lege seu publica potestate taxatur, & in indiuisibili consistit, atque sine iniustitia excedi nō potest, nec à Clericis quidem & externis mercatoribus; nisi forte in taxatione manifestus error interuenerit: Alterum naturale, siue arbitrarium, quod communi prudentum & bonorū virorum arbitrio taxandum, in indiuisibili non consistit, sed latitudinem habet; ac in genere triplex est, videlicet rigidum siue sumum, medium siue moderatum, in finem: pro quibus nempe singulis, eodem tempore, ac iisdem etiam circumstantijs, res aliqua iuste potest distrahi; si modo alias legitimum pretium non habet. Quæ ratione etiam Molina disp. 346. & Lessius lib. 2. c. 21. dub. 4. n. 300. excusant, quod subinde indigenis minori pretio merces quædam venduntur, quam externis.

28 **ASSERTIO IV.** In taxando rerū pretio & valore, non tam consideranda est præstantia rei naturalis, quam aliæ conditiones & circumstantiæ: quarum prima est cōmunis vsus & necessitas rei; propter particularem autem & propriam aliquā comoditatem vendentis, aut ementis, per se loquendo, minuere vel augere pretium non licet, vt cum S. Thoma hic q. 77. a. 1. docent omnes.

Secunda est mercium copia vel inopia; sicut enim hæc auget, ita illa minuit pretium. Eodem spectat multitudo & paucitas ementium & vendentium. Hinc Sotus l. 6. q. 2. a. 2. ad restitutionem obligat eum, qui in sine nundinarū tanti merces vendit, quāti in principio, nisi id fiat intra limites iusti pretij naturalis. Sed nec illud est perpetuum; cum pleriq; in finem emptionem soleant differre.

29 Tertia est modus vendendi; res enim precario obtrusa vilescunt. Hinc quæ sub hasta venduntur, aut alioquin cogente necessitate, etiā à pauperibus multis precibus obtruduntur, iuste vilius emuntur, vt ex cōmuni Ioannes Medina q. 31. de restitut. Caietanus V. *Empio* Nauarrus c. 23. n. 78. Petrus Nauarrus l. 3. c. 22. n. 34. Valentia q. 20. pun. 2. Lessius dub. 4. n. 30. & 31. Ratio. Tū quia hoc ipso res quodammodo fit abiectior. Tum quia id est signum & paucitatis emptorū, & quod res non sit necessaria, aut valde utilis. Erga pauperes tamē etiam misericordiæ habenda est ratio. Nec vniuersim placet, quod ex Caietano refert Lessius, merces vtroneas vilescere p. tertia parte.

30 Eodē modo si res publica auctione vendatur, tūc sicut ordinarie minoris emi licite potest, quā alioquin valeat; ita etiam carius vendita, ob emptorum contralicationem, ex probabili sententia, ad restitutionem non obligat, vt ex Petro Nauarro & Mercatore notat Lessius n. 35. quia iustū, inquit, pretiū illius fori est, quod absq; fraude potest illo modo vendendi obtineri; sic enim passim habere hominum piorū & doctorum vsū.

31 Quarto, facit etiam ad augendum pretiū negotiandi officium, siue à Republica iniunctum, siue sponte susceptum; & quæcunq; alia vendentis industria, labor, periculum, in mercibus comparandis, cōuehendis, & seruandis &c. suscepta: dummodo ea non inutiliter, nec solum fortuito & per accidens (in particulari tantū hoc vendi-

tore, alijs hoc labore seu periculo communiter vacuis) interuenerint, vt recte contra Scotum 4. dist. 15. q. 2. a. 2. Sotus lib. 2. q. 2. a. 3. Ioannes Medina de restitut. q. 31. Couarruias 2. variarum cap. 3. num. 4. Conradus q. 56. apud Molinam disp. 348. nec ideo currens pretium excedatur; quia nimirum in eo taxando, eiusmodi laboris, officij, periculi &c. iam habita fuerit ratio, vt recte cum Medina Lessius n. 25. & 29.

Constituto autē semel rerum pretio, etiam ille, qui mercator non est, aut nullum laborem in re comparanda posuit, licite potest eodem pretio rem suam vendere, ex communi; et si de naturali pretio aliud cum Medina dicat Aragonius hic q. 77. a. 1. in fine.

32 Addit quinto Nauarrus cap. 23. n. 84. etiam ob affectum, quem quis habet ad rem, posse eam carius vendere; quod alij limitant, si affectus nō sit leuis seu vanus, & res ad alterius instantiam vendatur, & de hoc ipso moneatur emptor. Sed vt videre est apud Molinam disput. 351. n. 3. res non caret periculo, & speciem mali habet, ac nō nihil fauet vsuræ; dissuadenda proinde potius, quam probanda.

33 **ASSERTIO V.** Sunt tamen generales quidam tituli, ob quos tam in emptionibus, quam alijs contractibus aliquid ultra consuetum pretium accipi potest. Et primus est donatio, quæ tamen inter extraneos, sine peculiaribus indicijs raro, vel nunquam est præsumenda, vt communiter notant Doctores: nec vero emptor ignorans rei pretiū, censetur donare datum excessum; vt nec venditor defectum condonare, ex communi, apud Valentiam q. 20. pun. 2. §. 2.

34 Hoc tamen titulo, pro quibusdam rebus raris, curiosis, & pretiosis, quæ solum ad splendorem pertinent, v. g. pro gemmis, aut equis insolitæ cuiusdam virtutis, vel pulchritudinis, antiquis statuis, quæ nullum certum pretium, nec legale, nec naturale habent, communiter licitum est accipere tantum, quantum sine vi & fraude ab emptore potest obtineri, vt cum Soto, Medina, Victoria, censent Valentia citatus, Toletus tract. de peccatis mortalibus cap. 48.

35 Sed verius est, per se loquendo, etiam has merces iudicio prudenti, aut aliorum, aut ipsius venditoris, iuxta conditiones, ex quibus pretium rerum æstimandum est, esse taxandas, vt recte Aragonius q. 77. a. 1. Lessius cap. 21. dub. 3.

Sicut nec etiam peculiari condonatione seclusa, potest iure retineri illud, quod ex rei alienæ venditione mandata, supra taxatum à domino pretium obtentum est, vt recte Syluester V. *Empio* q. 24. & Lessius dub. 18.

36 Secundus titulus est, detrimentum alteri contrahentiū obueniens ex contractu; siue sit damnum emergens, quod quis videlicet in re iam sua patitur; siue lucrum cessans, quod quis patitur in re, quam certo vel probabiliter erat habiturus, vt recte Valentia; licet aliqui aliter hæc nomina explicent. Sed res eodem redit. Et quidem damnum emergens licite in pactum deduci cum S. Thoma q. 77. a. 2. docent communiter omnes apud Valentiam cit. q. 20. pun. 2.

37 De lucro vero cessante, patet ex cap. *In ciuitate*, & cap. *Nauiganti*, de usuris.

Et tamen quidam antiquiores cum S. Thoma q. 78. a. 2. ad 1. negare videantur, id in pactum deduci posse, reuera tamen non negant, nec negari potest, vt recte ibidem ostendit Valentia ex communi recentiorum; quia damnata quodlibet pretio aestimabile, in alterius gratiam susceptum, sua compensatione dignum est.

Requiritur tamen ad hunc titulum tam lucri cessantis, quam damni emergentis, vt contrahens alter de tali incommodo in eius gratiam suscipiendo moneatur, saltem generatim; ne putet, rem per se tanti valere: & quia forte non cupiet incommodum illud redimere, vt ex communi Valentia citatus, Lessius dub. 4. num. 27. Accedit quod omnis materia contractus debet contrahentibus esse perspecta & in pactum deducta: atqui damnus hoc est velut partialis materia contractus: Ergo. &c.

38 Deinde peculiariter ad titulum lucri cessantis plures alia conditiones requiruntur, nempe secundo, vt reuera aliquod lucrum certo, vel probabiliter consequendum, ratione presentis contractus cesset, iuxta ea, quae de hac re fusius agit Valentia citato pun. 2. §. 5.

Quo fit, vt in contractu mutui v. g. non liceat hoc titulo quidquam accipere, si presentem pecuniam (saltem secundum speciem & quantitatem) nullo modo eras ad negotiationem expositurus: neque etiam hoc titulo mercem vllam in presenti carius vendere potes, quantumuis alio tempore plus valitura existimetur, si eam non eras in tempus illud auctioris pretij seruaturus, vt recte Valentia & Lessius citati, Molina disputatione 155.

Nam & huius conditionis fit expressa mentio in cit. cap. *Nauiganti*.

Et quamquam omittatur in cap. *In ciuitate*, tamen etiam illic subintelligenda est, vt recte Valentia ibidem, Sotus lib. 6. q. 4. art. 2. Medina q. 38. de restitut. Couarruias lib. 2. variarum cap. 3. n. 6. contra Caietanum q. 78. art. 2. qui inale distinguens casum vtriusque capituli, putauit etiam seclusa illa conditione, posse eiusmodi mercem carius vendi, si pretium tempore solutionis probabiliter futurum sit auctius. Quam sententiam sequi etiam videtur Sa V. *Emptio*. Sed non videtur tuta & probabilis, vt recte ostendunt citati, & ex dictis colligitur.

39 Tertia conditio est, vt iusto pretio lucrum hoc cessans taxetur, seruatis nempe duabus conditionibus, quas recte notat Lessius dub. 4. Prima, vt totius lucri cessantis compensatio non petatur, si lucrum certum non est, sed partis tantum alicuius; pro maiori vel minori probabilitate eiusmodi lucrum obtinendi, iuxta prudentis viri arbitrium, vt de bonis primum obtinendis cum S. Thoma quaestio. 62. art. 4. ad 2. ex communi suo loco dictum quaest. preced. dub. 2. Nec aliud videtur voluisse Sanctus Thomas quaestio. 78. art. 2. ad 1.

Secunda conditio est, vt subducantur subducenda, nimirum pericula & expensae, quae in re

seruanda aut lucro procurando fieri aut subiri debebant. Ac speciatim in mutuo, si statim & in presenti percipiatur interesse lucri cessantis, subtrahatur lucrum, quod Creditor, iuxta habitam prius voluntatem lucrandi, ex soluto interesse percipere potest; hoc enim ex contractu mutui non cessat, vt recte Valentia post Medicinam, Conradum, & alios.

Alia vero conditiones, quas alij praeterea accumulunt, vt siue in mutuo, siue in alio contractu, aliquid hoc titulo accipiatur, non sunt necessariae, vt recte ostendit Valentia q. 20. pun. 2. §. 5. nisi intelligantur iuxta aliquam ex praedictis. Talis est prima, vt quis ad instantiam alterius cesset a lucro; tanquam si vendens aut mutuans se prius offerre non possit ad vendendum vel mutuandum hac lege, quam ab alio fuerit requisitus.

Secunda, vt mutuans malit negotiari cum spe incerti lucri, quam cum pacto, de soluendo interesse lucri cessantis, vendere vel mutuare.

Tertia Soti, vt inuitus impediatur a lucro per alium negotiandi modum acquirendo; quae cum priore videtur coincidere.

Quarta Conradi & Medinae, vt Creditor seu mutuans non habeat aliam pecuniam in arca, quae, si vellet, posset idem lucrum facere, quod ei nunc cessat ex credita pecunia. Sed quae conditiones firma aliqua ratione non probantur: sufficiunt ergo priores.

41 Quibus stantibus, potest quis dupliciter de damno emergente, vel lucro cessante pacisci. Primo certi quiddam determinando, quo iuxta prudentis iudicium, eiusmodi incommodum probabiliter futurum compensetur. Secundo generatim petendo, vt quaecumque incommodum ex contractu euenturum sit, id alter teneatur compensare; & per se vtrumque licet.

Sed nihilominus tamen, quia illa ipsae conditiones superius requisitae, quantum spectat ad titulum lucri cessantis, facile deficiunt, praesertim vero secunda, & tertia; idcirco recte monuit Valentia cit. §. 5. dissuadendos potius esse communiter tales contractus, quam suadendos; eo quod talis contrahendi modus, de compensando lucro cessante, habet<sup>d</sup> sit potius loco exceptionis, quam regulae generalis, ex Caietano q. 78. a. 2. quod factis etiam colligitur ex cap. *In ciuitate*.

42 Tertius titulus plus accipiendi, est grauamen aliquod pretio aestimabile, alteri ab altero contrahentium impositum, vt est labor & molestia in comparanda re, vel pretio &c. item periculum peculiare & probabile amittendi rem suam, ex communi Ioannis Medinae q. 38. Carbonis q. 32. de restitut. Couarruias 3. variarum c. 2. n. 5. & 6. Petri Nauarri l. 3. c. 2. n. 110. Valentiae loc. cit. Conclus. 4. post Maiorem, Gabrielem &c. quicquid in contrarium nitantur Conradus q. 50. de contractibus, Sotus lib. 6. q. 4. a. 1. Nauarrus c. 13. num. 78. Ratio est, quia eiusmodi grauamen in alterius contrahentis gratiam susceptum, est pretio aestimabile: sed quod eodem tamen modo in pactum est deducendum, vt de praecedenti titulo dictum, ob eandem causam.

Nec



Nec obstat cap. *Nauiganti*, de vsuris; quia illic mutans obligabat mutuarium, ratione mutui, ad contractum societatis, vel assicurationis secum ineundum; quod est vsurarium. Et forte etiam reuera nullum suberat periculum, vt recte notarunt Sotus & Valentia.

Tale grauamen etiam est fideiussio, & assicuratio, secundum omnes, apud Binsfeldium supra citatum in cap. *Nauiganti* q. 2. & 3. item obligatio ad mutuandum secundum S. Thomam q. 78. a. 2. ad 4.

44 Quartus, est pœna conuentionalis; de qua scilicet soluenda, etiam ante sententiam, ab eo, qui sua culpa pactum violat, inter partes conuentum est. Hæc pœna, nisi vtroque sit par ratio eam incurrendi, moderata esse debet, & culpæ proportionata, nec exigi sine culpa; nisi aliunde confert de libera donatione. Vide Molinã disp. 317. Lessium dub. 15. qui etiam cum Sanchez probabile asserit, eiusmodi pœnas ante sententiam Iudicis non esse soluendas, vt nos etiam dominicus tom 2. disputat, 5. quæstione 6. dub. 4. num. 67.

45 ASSERTIO VI. Propter ipsam vero præcise dilationem, aut anticipationem solutionis, secluso aliquo titulo ex prædictis, non potest iustum & consuetum rei pretium augeri vel minui. Ita cum S. Thoma q. 78. a. 2. ad 7. docent communiter omnes, apud Molinam disp. 355. Valentiam cit. §. 4. Lessium cap. 21. dub. 6. & 7. conformiter cap. *Consuluit*, de vsuris. Et in Constitutionibus imperialibus Comitiorum Augustanorum Anno 1548. vocantur à Carolo V. *frumentarij pradones* illi, qui frumenta anticipata solutione circa messem cœmunt vilissimo pretio, minori scilicet, quam valebit tempore traditionis, vt recte Binsfeldius in cap. *Nauiganti*, de vsuris quæst. 4.

46 ASSERTIO VII. Nec debita licitum est vilius emere, nisi ratione periculi probabilis, vel molestiæ obtinendi debitum, vel similis tituli, ex quatuor recensitis. Ita ex communi Angelus & Syluester V. *Vsura*, Sotus lib. 6. q. 4. a. 1. Valentia cit. q. 20. p. 2. §. 7. Conclus. 5. Medina q. 38. Molina disp. 361. Lessius dub. 8. post Gabrielem, Antoninum. &c. contra Panormitanum & Innocentium in cap. *In ciuitate* de vsuris, Caietanum V. *Vsura* in fin. & Nauarrum c. 17. Manual. n. 231. qui docent, etiam absque alio titulo, licite vilius emi debita. Tum quod ius ad rem minus valeat, quam res possessa. Tum ob adiunctã eo casu paucitatem ementium, & multitudinem vendentium. Vnde eandem sententiam etiam olim docuisse Bellarminum Louanij, & Petrum Parram Romæ, testatur Lessius.

47 Sed non probatur. Tum quia hæc sententia fauet vsuris; posset enim hac ratione vsurarius dicere, se pro pecunia præsentem emere debitum; atque ita si debitum rei, minoris pretij est, se merito in mutuo petere auctarium. Tum quia, vt recte Bartolus l. *Per diuersas* C. Mandati, & Baldus l. 2. C. Ne lite pendente, tantum valet actio seu ius ad rem aliquam, quantum res ipsa, deductis laboribus & expensis, adde etiam pe-

riculo: & paucitas ementium non minuit rei pretium, si res aliunde iam habet certum & determinatum pretium.

48 ASSERTIO VIII. Venditor rei fructifera, ante solutionem pretij non potest, per se loquendo, ita percipere fructus, eorumue pretium, vt in fortem nõ computet; saltem quoties res vendita in dominium emptoris transit. Ita ex communi Theologorum, post S. Bernardinum Senensem, Gabrielem, Rosellam, Archidiaconum, docent Syluester V. *Vsura* 2. q. 11. Petrus Nauarrus lib. 3. c. 2. n. 156. Lessius dub. 13. n. 108. & 109. Azor tom. 3. lib. 8. cap. 15. licet aliter sentiant Couarruias lib. 1. variarum cap. 15. Molina disp. 368. Binsfeldius q. 6. Conclus. 3. Sa V. *Venditio*, & plures Iuristæ; qui etiam vsuras eiusmodi ad distinctionem lucratiuarum, quas reprobant, vocant compensatorias; iuxta l. *Curavit*, C. de actione empti. l. *Iulianus*, & l. *Si sterilis*, ff. de actione empti.

49 Sed has leges, Azor, cum plerisque Iuristis, solum intelligit & admittit in casu, quo dominium non transijt ad emptorem: Lessius vero ait, qua parte concedunt vsuras pretij nõ soluti, posse videri abrogatas iure Canonico; esto, particularibus statutis seclusis, probabilis videatur, contraria illa sententia.

Ratio est. Quia peracto venditionis contractu (qui consensu perficitur, sicut & Conductio, Societas, & Mandatum ex l. *Consensu* ff. de actionibus & obligationibus, & Institut. de obligationibus ex consensu, & communi apud Azor tom. 3. initio libri 8.) & translato dominio, tam res ipsa, quam fructus eius, pertinent ad emptorem; quibus proinde emptor spoliari non potest, ob solam dilationem solutionis; esset enim hæc palliata vsura.

50 Alia ratio est, cum dominium rei non transijt ad emptorem, vt quia vel res traditionem postulans nondum tradita, vel pretium nec dum solutum; nec fides data & accepta de pretio soluendo, nec fideiussor, aut pignus datum; nec alio modo creditori satisfactum, vt notat Azor ibidem; qui etiam hac ratione Theologos cum plerisque Iuristis conciliat; licet eos aliter intelligant Lessius citatus, & alij. Quo modo vero per modum locationis, non emptionis, similes contractus possint iustificari, vide Azorium citatũ.

51 ASSERTIO IX. In contractu conuentionali, seu pacto de retrouendendo in gratiam venditoris, inito (de quo Leuit. 25.) minui debet pretium rei venditæ; idque ipsum in redemptione non est augendum. Primum docent ex communi Gerson, Maior, Gabriel, Couarruias 3. variarum. cap. 10. n. 1. Ratio est. Quia in gratiam venditoris nouo onere oneratur emptor; quod remissionem pretij compensandum.

Secundum docent Syluester V. *Vsura* 2. q. 15. Nauarrus c. 17. n. 248. post Antoninum. Ratio: Quia posterior venditio nõ est nouus contractus; sed dissolutio prioris; nec rem maioris pretij reuendit, quam acceperit. Excipiunt Lessius dub. 14. n. 115. & Sa V. *Emptio*; nisi rei pretium futurum sit auctius; tunc enim posse, interueniente

nouo pacto, maiori pretio rem reuendi. De qua re plura citati.

52 **ASSERTIO X.** Ob dilationem solutionis, vendere merces magno pretio, easque statim denuo parata pecunia viliori pretio reemere; esto id fiat intra latitudinem iusti pretij; speciem mali habet, & moraliter vix vnquam caret culpa venditoris; imo etiam iniustitiam continet, si primus venditor cogat alterum ad reuendendum. Ita Nauarrus cap. 33. num. 51. Petrus Nauarrus num. 169. Carbo q. 52. Lessius dub. 16. Ratio est. Quia eo ipso, quod primus venditor grauat emptorē, adiecto illo onere, debet potius minuere pretiū, non augere, vt dictum.

53 **ASSERTIO XI.** Licitum est, per se loquendo, & seclusa fraude, currenti pretio rem vendere, etiam si priuatim scias, eius pretium paulo post diminutum iri; seu ob futuram copiam rei, paucitatemue eumentium; seu etiam publicæ potestatis taxationem. Ita quoad priorem partem S. Thomas q. 77. a. 3. ad 4. Sotus l. 3. q. 4. a. 2. ad 3. Couarruias in regulam *Peccatum*, part. 2. §. 4. n. 5. & 6. Valentia punct. 3. Lessius dub. 5. contra Medinam de restitut. quæstio. 45. & Conradum quæstione 62. & 63. post Ciceronem lib. 3. Officiorum.

54 Vltimam partem tradit speciatim Lessius, & colligitur fere ex citatis; et si contrarium sentiat Molina disp. 354.

Ratio est. Quia iustum rei pretium non nisi secundum præsententes circumstantias moraliter notatas taxatur. Secus est, si quis debitum aliquod vendat pretio ordinario, sciens occulte, debitorem non esse soluendo; quia debiti valor ex hac circumstantia vel maxime pender, vt pluribus Lessius dub. 10. n. 81. Plura apud Azorium, & citatos.

Quæritur II. An & quomodo vitietur venditio ex parte rei venditæ. Respondetur sequentibus assertionibus.

55 **ASSERTIO I.** Ex parte rei venditæ, seu materiæ duobus modis illicita fieri potest venditio, & quæuis alia commutatio. Primo ex ipso genere rei, seu materiæ, quæ commutatur. Secundo ob vitium eiusdem rei. Prius accidit, si vendatur aut commutetur res, quæ vendi aut commutari non potest, aut ob legis prohibitionem, vt venenum, (nisi in casu & cū debita circumspectione &c.) homo liber. &c. aut natura sua, vt res spiritalis, de quo infra de Simonia, vel sacra: quantum ratione materiæ hæc vendi possint aut Ecclesijs, aut etiam Laicis ad sacrum ministerium, vt recte Azor tom. 3. lib. 8. cap. 5. quæst. 1. iuxta cap. *Ligna*, de consecratione dist. 1. can. *Aurum*, & can. *Apostolicus*, & can. *Et sacrorum*, 12. quæst. 2. & glossam ibidem. Eodem modo, sicut in extrema necessitate quisque seipsum, ita etiam Pater Filium vendere potest, iuxta Syluestrum V. *Negotiatio*, Nauarrum citatum, Medinam de restitutione quæst. 21. Carbonem q. 53. Azorium citatum.

Vt autem intelligatur, quo modo ratione vitij ipsius rei, quæ venditur aut commutatur, vitietur etiam venditio, esto

**ASSERTIO II.** Venditor sciens vitium occultum notabile, & non pandens emptori scire cupienti, tenetur ad resarcienda omnia damna. Ita ex communi Molina disp. 353. post Ambrosium lib. 1. officiorum, & S. Thomam q. 77. a. 3. & l. si *Iulianus*. ff. de actionibus empti. Ratio. Quia venditor ex iustitia tenetur pādere occultos eiusmodi defectus mercis, ex S. Thoma citato.

**ASSERTIO III.** Si emptor hoc casu non erat mercem empturus, agnito vitio, in foro conscientie, contractus est nullus: in exteriori autem datur actio redhibitoria: Si vero erat empturus, sed pretio minori, contractus est in vtroque foro validus; sed venditor restituere tenetur emptori excessum pretij, quando minoris erat empturus. Ita Molina ibidem, & Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 11. ex communi. Et primum ac tertium patet ex dictis dub. 1. Secundum ex l. 1. & l. *sciendum*, & l. *Si tamen*. ff. de ædil. edicto. 1. & l. *Cum proponas*, C. de ædil. actionibus. Addit Molina, aduersus venditorem dari actionem quanto minoris, etiam si ignorauerit vitium.

Si tamen re ipsa nulla fuerit inæqualitas in contractu, regulariter non censetur culpa mortalis, se ad rescindendum contractum non vltro offerre. Ita Molina disp. 352. n. 18. Ratio esse debet. Quia cum quoad rem nulla interuenerit inæqualitas, deceptus, post factum, videri potest non admodum curare. Quod si is, re adhuc integra, urgeat reuocationem contractus, non erit minor iniuria in re retinenda, quam initio per fraudem accipienda.

**ASSERTIO IV.** Imo si emptor suo iudicio fidens, rem aliquam ex multis seligat, nihil interrogans præterquam de pretio, non peccat venditor contra iustitiam, etiam si occultum & quidem notabile vitium non aperiat, modo iusto pretio vendat, nec dolo vitium contegat, nec adeo cum alijs mercibus quæ non vitiosam posuerit. Ita Lessius num. 91. idem indicat Molina disp. 352. n. 12. Et colligitur plane ex S. Thoma q. 77. a. 3. Solum enim requirit, vt defectus indicetur, nec emptor inde periculum aut damnum incurrat; quod satis, inquit Lessius, post contractū præstari potest. Idem apertius docet S. Thomas quod lib. 2. a. 10. & consentiunt Sotus lib. 6. q. 3. a. 3. & Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 17. §. 6.

Quæ sententia saltē tunc locū habere debet, quādo emptor nullo indicio pōdit, se habere voluntatē p̄senti defectui repugnantē; tunc enim putare potest venditor, eū nihominus empturū fuisse; nec ei postea contrariū asserenti credere tenetur. Ratio autem quare prodere nō teneatur, est, quia forte, vt ait S. Thomas, *propter huiusmodi vitium, emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum; unde potest, inquit, venditor licite in demeritū suū consulere, vitium rei reticendo.*

**ASSERTIO V.** Multo minus tenetur venditor de vitio occulto, sibi que incomperito, si in celebratione contractus dicat, se nolle teneri de occulto vitio; sed emptorem suo periculo debere emere rem; vt ex communi Molina disputation. 353. num. 15. Ratio est; quia tunc emptor damnum sibi imputare debet, non venditori.

62 **ASSERTIO VI.** Si vitium sit patens, in foro exteriori non datur actio, nisi supra dimidium iusti pretij deceptus sit emptor: in interiori valet emptio; & si pretium sit æquale, ad nihil tenetur venditor; iuxta S. Thomam q. 77. a. 3. Si tamen venditor pro tempore contractus aperte vidit, emptorem ignorare vitium, tenetur monere, ex communi apud Molinam n. 16. quamquam nihilominus probabile est, nunquam hoc casu à venditore ex iustitia monendum emptorem, ut quidem absolute docet S. Thomas & Sotus supra assertione 4. 5. & Sa V. *Venditio*.

63 **ASSERTIO VII.** Quando vitia non reddunt rem notabiliter minus utilem ad id, pro quo emitur, non tenetur venditor illa manifestare; esto præsumat, si emptor ea cognosceret, empturum non esse; nisi emptor interroget de vitio rei; tunc enim nullus est contractus, si emptor alias non erat empturus; quia dolus dedit causam contractui. Ita Molina disp. 353. num. 20. & habetur ex generali doctrina tradita dub. I. Primum vero speciatim docet S. Thomas q. 77. a. 3. Caietanus ibidem, Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. qui absolute docent, secluso damno & periculo emptoris, posse taceri vitium. Ratio colligitur ex assertione 5.

64 Secundum docent Conradus de contractibus q. 54. Ioannes Medina de restitut. quæst. 34. Panormitanus in cap. *Iniustum*, de rerum permutatione, Gabriel 4. dist. 15. quæst. 10. a. 3. Syluester V. *Emptio*, q. 20. Nauarrus manual. cap. 23. num. 89. qui absolute docent, emptionem esse nullam, si taceatur vitium, quo cum emptor non emisset. Sed limitandi sunt, si vitium sit notabile, & emptor de eo certior fieri voluerit. Ratio. Quia alius contrahendi modus nec recipitur à negotiatoribus, nec esset utilis bono communi; cum facile alias contractus omnes redderentur irriti.

65 Quocirca etiam absolute docet Valentia q. 20. punct. 4. cum Soto, contra Syluestrum, Medinam, Nauarrum, si defectus mercis nec absoluta, nec conditionata intentioni emptoris aduersetur; sed perfectioni cuiusdam solum materialiter & concomitanter ab emptore volitæ, tunc venditionem non esse iniustam, nec illicitam; esto emptor, si vitium rei sciuisset, eam non emisset; modo iusto alioquin pretio res vendatur, & emptor postea moneatur de defectu; nec ipse vel alij, quibus forte rem venderet, damnum aliquod sustineant; quod tamen ex assertione 2. & sequentibus est limitandum.

**ASSERTIO VIII.** Eadem quæ de venditore dicta, secundum proportionem etiam de emptore accipienda sunt; nisi quod multo rarius hoc casu contractus sit irritus; eo quod venditor non intendat, nisi æquale pretium.

66 Quod si in agro lateat thesaurus ignotus domino, tunc poterit is ager etiam communi pretio emi, non patefacta occultæ rei excellentia, ut docent cum S. Thoma q. 66. a. 5. ad 2. Valentia citatus, Sa V. *Emptio*, alijque citati; seu quia dominus agri non habet dominium thesauri; cum is iure naturali fiat primo inuenientis, ut supra di-

ctum q. 1. dub. 5. seu quia non venditur ager, nisi secundum superficiem. Idem similiter dicendum, si in fascie herbarum, aut in domo præstans quidpiam lateret, in cuius nimirum possessionem dominus nunquam censeretur venisse, ut docet Sa, Lessius citati, Molina n. 13.

67 At à rustico gemmam pretiosam pro vili emens, non excusatur à restitutione; etsi moneat rusticum, num condonare velit, isque ignorans condonet. Quia hæc condonatio non est sufficienter voluntaria ob ignorantiam, ut recte Molina num. 12. contra Caietanum. Secus si tam emptor, quam venditor pretium ignorent, & pari fortuna se committentes, bona fide, certum pretium determinent, ut ibidem cum Caietano docet Molina.

68 **Quæritur tertio, quomodo ratione aliarum circumstantiarum vitari possit contractus.** Respondetur vitari varijs modis. I. Ratione personæ ementis, quæ ab usura putetur re empta; dari enim huic sine causa non debet, ut habet communis Medinæ, Carbonis, Syluestri, Beicæ casu 48. Valentia q. 20. punct. 5. quicquid Sa V. *Venditio*, absolute dixerit, vendere rem, qua quis potest bene uti, etiam si talem sciam male usurum, non esse mortale; ut arma tempore belli iniusti; vel cenā die ieiunij: modo non credas, illum emere ad nocendum alteri, vel sibi corporaliter. Ratio est; quia quisque tenetur non cooperari malo alieno sed potius id cauere, saltem ex charitate. De qua replura supra disp. 2. q. 6. dub. 8.

69 II. Ratione personæ vendentis, negotiatio proprie dicta, qua quis nimirum rem aliquam comparat eo animo, ut integram, & non mutam vendendo lucretur, ex Chrysothomo homil. 28. in Matthæum & cap. *Eijciens* dist. 88. illicita est Clericis in maioribus constitutis; & monachis cap. *Peruenit* dist. 86. & tota fere distinct. 88. idque ex suo genere sub peccato mortali, ut ex magnis poenis annexis colligitur. Quinimo nec conducere aliena prædia, aut similes res fructiferas possunt, ut fructus vendant, & ita quæstum faciant 2 t. quæst. 3. cap. 1. 2. & 3. secus pro sua sustentatione.

Per alios tamen possunt negotiari, iuxta Medinam, Valentiam, Lessium dub. 1. n. 6. etsi negget Carbo. Certe decens non est, ut faciant; quod fatetur Lessius, nisi causa excuset; v. g. ob propriam vitæ necessitatem, vel nomine viduarum, orphanorum, & pupillorum; ad quorum tutelam quandoque iure compelluntur. Quibus casibus quidam absolute Clericis negotiationem concedunt; sed in posteriori non videtur absolute concedenda; quia fieri potest, ut pupilli non egeant; neque officium obligat ultra vires & conditionem personæ, cui imponitur.

70 III. Ratione loci sacri negotiatio illicita est sub mortali, ut communiter docent omnes, ex cap. *Decet domum*, de immunitatibus Ecclesiarum in 6. idque etiam dum ibi diuina non celebrantur, ut recte Sotus lib. 6. q. 6. a. 2. Valentia, Medina, Carbo contra Caietanum, licet mortale non videatur extra tempus celebrationis diuinorum, colloquendo duntaxat in Ecclesia, non autem expositis,

vel traditis mercibus negotiari, vt ex Soto quoque notat Valentia.

71 IV. Ratione temporis, illicita est diebus festis, nisi quoad res paruas aut necessarias; licet vniuersim neget Sotus, accidere peccatum mortale ex hoc præcise capite, secluso scandalo. Certe quidē cōmunis consuetudo spectanda est, quæ positiuæ legi derogare potest, vt pluribus dicitur disp. 5. q. 6. dub. 1.

72 V. Ratione modi, videlicet peritiorū, blasphemiarum &c. ipsiusq; finis, si nimirum in lucro cōstituatur vltimus finis: alioquin ex fine lucri est indifferens, etiam si speciem mali habeat, iuxta S. Thomam a. 4. vnde Eccles. 26. v. 28. *Dua species difficiles & periculosa mihi apparuerunt; difficile exiit negotians à negligentia: & non iustificabitur caupo à peccatis laborum.* Et 1. Tim. 6. v. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationē, & in laqueū diaboli, & desideria multa inuisibilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionē.* Plura apud Azoriū loc. cit.

### DVBIVM III.

#### De contractu mutui; eiusq; vitio, nempe vsura.

S. Thomas 2. 2. q. 78. aa. 4.

73 **M**utuū est contractus, in quo pecuniæ vel alteri<sup>9</sup> rei mobilis & vsu cōsumptibilis dominium transfertur in alterū; cū obligatione eidē iniecta, vt eandem secundum speciē, seruata debita æqualitate, denuo restituat. Quē contractū esse licitum, per se patet; nec à quoquam negatur; imo etiam in scriptura asseritur. Matth. 5. v. 42. Luc. 6. v. 35.

Differt à cōmodato, & precario; quia per vtrūq; hoc vsus solū rei imobilis, aut certe vt sic vsu non cōsumptibilis alteri cōceditur; manēte dominio penes priorē dominū, cui, p̄inde eadē numero restituēda est. Cōmodatū vero & precariū inter se differant; quod cū vtrumq; sit concessio gratuita rei, illud tamen ante conditū tempus nō potest repeti; hoc vero ad nutū cōcedētis est renocabile.

Mutui vitium est vsura, qua vltra sortem aliquid à mutuario accipitur: de qua

74 **Q**uaritur I. An & qua ratione vsura sit illicita? Supponendum I. vsuram seu scenus sæpe quidem pro lucro vsurario, hic vero pro contractu accipi, vnde prouenit illa vsura.

Supponendum II. vsuram pro contractu duobus modis accipi; primo late, prout dicit omnem contractū, quo ratione mutui, siue in mutuo, seu explicito, seu implicito (vt fit in emptione, venditione & locatione, pretio non simul cū merce soluto) vltra sortē aliqd percipitur. Quo modo sæpe Iuristæ alias vsuras vocant *lucratiuas*, seu *lucratorias*, alias *compensatiuas*, vt diximus etiam n. 48.

Secundo stricte accipitur pro contractu, quo ex vi mutui præcise, auctarium vltra sortem, velut ex iniustitia, propter vsu rei mutuatae debitū exigitur, iuxta S. Thomam q. 78. a. 1. & 2. siue id fiat cum expresso pacto; quo casu dicitur vsura exterior: siue abiq; vilo pacto expresso vel implicito;

quo casu dicitur vsura mentalis: & rursum, siue auctarium principaliter eo modo per mutuum intendatur, siue minus principaliter, vt recte contra quendam modum loquendi Syluestri, & Nauari, notauit Valentia q. 21. pun. 1.

75 **ASSERTIO I.** Vsura stricte accepta, est intrinsece mala ac prohibita, iure non solum positiuo, sed etiam diuino & naturali. Ita contra Carolum Molinæum approbantem vsuras moderatas tract. de commerc. & contra Abulensem in cap. 25. Matth. q. 171. & seq. cum S. Thoma cit. q. 78. a. 1. habet cōmunis Theologorum & Canonistarum sententia apud Couarruuiam lib. 3. variarum q. cap. 1. Valentiam q. 21. pun. 1. & Molinam tom. 2. disp. 304. Probatur. Quia Ius positiuum habetur in Iure Canonico, causa 14. q. 3. & 4. & in Decretalibus, & Clementina titulo de vsuris; & in Iure Ciuili, seu Cæsareo nouo, in Constitut. Carolinis, tit. de contractibus vsurarijs, sicut & in iure municipali Bavarico: quicquid sit de Iure Ciuili antiquo l. 1. C. de vsuris, cui per canones derogatum est: quanquam etiam in illo non approbatam, sed toleratam fuisse vsuram, existimet S. Thomas hic q. 78. a. 1. Atque hoc eodem sensu Iuristæ reiciunt vsuras *lucratorias*,

76 *Ius diuinum sumitur ex psalm. 14. v. 5. Domine qui habitabit in tabernaculo tuo, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad v. uram. Ezech. 18. v. 10. Quod si genuerit filium latronem &c. ad vsuram dantem, & amplius accipientem: nunquid uiuet? non uiuet, &c. Luc. 6. v. 35. Benefacite, & mutuum date; nihil inde sperantes.*

Ratio Iuris naturalis est. Quia sicut in omni alio contractu oneroso, ita etiam in mutuo, ex vi ipsius præcise contractus plus accipere, quam datum est, non licet: id autem facit vsurarius eo ipso, quod vltra sortem æqualem eiuldem valoris & vsus, ex vi mutui præcise, auctarium accipit.

Accedit, quod mutuans rem aliquam, transfert eius rei dominium (sic enim mutuum à cōmodato, & locato distinguitur.) Ergo iniustitia cōmittitur si pro vsu rei iam non suæ, sed in alium transtata, & iam aliunde ad æqualitatem compensata nouam compensationem accipiat.

Deniq; nullus titulus in ipso per se mutuo assignari potest, propter quem auctarium illud accipiat, vt fusius videre est apud Valentia loc. cit. & inferius patebit. Quocirca etiā in Concilio Viēnsi definitur, tanquam hæreticos puniendos, qui vsuras pertinaciter defendunt, vt habetur in cap. vn. §. sane, citata Clement. de vsuris.

77 **ASSERTIO II.** Vsura late ac vniuersim accepta, seu acceptio auctarij vltra sortem in mutuo, non est intrinsece mala. Ita non solum Iuristæ communiter, approbantes vsuras *compensatiuas* aut *punitorias*, reiectis *lucratiuis*, sed etiam S. Thomas hic quæst. 78. a. 1. ad 2. vbi ita interpretatur illud Deuteronomij 28. v. 12. *Reuerabis gentibus multis; & ipse à nullo scenus accipies.* Et Ecclesiastici 29. v. 10. *Mulsi non causa nequitiæ non fuerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.* Et sæpius ibidem scenerari in bonam partem accipitur Ratio & declaratio patebit ex sequentibus.

ASSERTIO

78

ASSERTIO III. Varij sunt modi & tituli, ob quos in mutuo ultra sortem auctarium peti & accipi potest. Ita omnes cum S. Thoma questio. 78. a. 2. Et primo quidem accipi auctarium in mutuo, potest ob omnes & singulos illos titulos, ob quos in omni contractu pretium augeri posse diximus preced. dubio, præter ea, quæ speciatim de titulo donationis dicemus inferi<sup>9</sup>. Atq; hoc ipso etiam sensu, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, admittuntur illæ, quas Iuristæ vocant *vsuras compensatorias*, siue *restauratorias*; sicut & *punitoriæ*, quæ poenam conventionalem respiciunt, vt recte etiam notauit Azor to. 3. l. 5. cap. 3. de vsuris.

Secundo possunt etiam ob dilationem solutionis, rei venditæ fructus à venditore percipi, absque eo quod in sortem computentur, si modo dominium rei ad emptorem non transferit, alias non item, iuxta dicta dub. præced. quæsto. 1. assert. 8.

79

Tertio ex decreto quoque rationabili superioris potestatis, seu consuetudinis æquivalentis (non vt mutui præcise) fieri nonnunquam potest, vt aliquid in mutuo ultra sortem licite accipiatur; cum translatio dominiorum potestati superiori ipsius etiam Reipublicæ, ex iusta causa, subsistit, vt suo loco dictum. Atque hoc modo Scholastici multi, speciatim Maior in 4. dist. 15. quæstio. 29. Gabriel q. 11. articulo 1. Antoninus par. 2. tit. l. c. 67. §. 2. Conradus de contract. q. 24. Molina de restit. ex vsura q. 2. & Couarruias l. 3. variat. cap. 1. numero 7. cum Ambrosio lib. de Tobia cap. 15. asserunt, Israelitis olim (diuina condonatione) concessum fuisse, à gentilibus vsuras exigere, Deut. 23. v. 19. & seq. *Non faverabû fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*: licet S. Thomas cum suis hic quæstione 78. art. 1. ad 2. Caietanus ibidem, Sotus lib. 6. de Iust. q. 1. a. 1. ad 2. & Canonista pleriq; id solum à Deo permissum fuisse, asserant: quæ vtraq; sententia probabilis est. Vide Azor tom. 3. lib. 5. de vsuris cap. 2.

80

Eodem modo; quamvis in pignore, pactum legis commissoriæ (vt nimirum pignus, nisi certo tempore redimatur, in mutuante transeat &c.) per se iustum non sit, sed nullum, ex cap. *Significante*, de pignoribus; nisi forte quandoq; per modum iustæ poenæ conuentionalis, seruatō iustæ emptionis pretio, iuxta Nauarrum cap. 17. num. 2. 17. & Molinam disp. 3. 24. nec omnino, per se loquendo, liceat fructus pignoris in sortem non computare, ex communi S. Thomæ hic q. 78. artic. 2. idque etiam si ager fuerit alioquin sterilis, iuxta Nauarrum cap. 17. n. 2. 16. & Lessium dub. 16. contra Sotum, nisi vsus eiusmodi pignoris gratis inter amicos soleat concedi, vt est vsus libri, iuxta eundem S. Thomam: in quibusdam tamen casibus, ob supradictum titulum, dispositionis potestatis superioris, pignoris fructus licite in sortem non computantur, vt post Gabrielem 4. dist. 5. q. 11. a. 2. & Nauarrum man. cap. 17. n. 2. 17. docet Lessius dub. 16.

81

Primus casus est, si feudatarius Domino directo in pignus tradat feudum; huius enim fructus

potest percipere dominus sorte integra ex cap. 1. de feudis, & cap. *Conquestus*, de vsuris, & glossa ibidem. Idque iure concessum, in fauorem liberalis feudi cōcessionis, vt recte etiam post Sotum, & Medinam docet Valentia q. 21. pu. 1. quicquid Petrus Nauarrus l. 3. c. 2. n. 373. & alij complures apud eundem negent.

82

Secundus, si Emphyteuta similiter oppignoret domino directo rem Emphyteuticā; tunc enim dominus directus, etiam Laicus potest fructus illius percipere; cum hac etiam tacita conditione, celebrari censeatur emphyteusis, nisi aliud exprimatur.

Requiruntur tamen in vtroque casu istæ conditiones. Prima, vt dominus interim non exigat obsequiū & pensionem solitam. Secunda, vt non percipiat eos fructus, quos res producit, per meliorationem Emphyteutæ. Tertia, vt feudum vel Emphyteusis nō sint antea sufficienter compensata pecunijs, vel obsequijs, sed bona ex parte gratiæ concessa, vt bene docet Lessius ibidem post Gabrielem, Syluestrum, Nauarrum.

83

Tertio, eodē iure ac titulo, potest gener percipere fructus pignoris dotalis, eos itidem in sortem non computando, iuxta receptam consuetudinem, & l. *Pater ff. doli mali & metus excepr.* & cap. *salubriter*. de vsuris, consentiente Petro Nauarro nu. 361. & Azorio tom. 3. lib. 7. cap. 9. q. 1.

Tamet si Nauarrus man. n. 2. 13. pro titulo eius rei assignet donationē. Alij, in quibus Adrianus, Medina, Couarruias id solū concedant, ratione lucri cessantis, & iuxta eius mensuram: alij solū, vt Molina d. 321. & Lessius du. 16. si pignus à focero datū sit, non solū ad debiti securitatem, sed etiā vt gener eo interim fruatur loco rei debitæ; alias secus: cum tamen res hæc iuris potius dispositione, quam liberalitate foceri nitatur, nec in suo arbitratu possit aliter disponere.

Atq; in eundem sensum generatim etiam Sa V. *Contractus* n. 4. ait non facile damnadū *Contractus, qui communiter fit, & est Reipublicæ utilis, non causa damnorum; nisi aperte constet, esse illicitum: cum Reipublica possit defectum supplere.*

84

Quarto, ultra sortem etiam aliquod auctarium in mutuo accipi potest ratione eorū, quæ per accidens mutuo adiunguntur, ex communi. Talia sunt labor mutuandi, scribendi, numerandi &c. vt post Ostiensem, recte Syluester, V. *Vsura* Nauarrus man. c. 17. n. 209. Lessius n. 28. quicquid negare videatur Azor tom. 3. libro 5. de vsura cap. 2. q. 4. modo id, quod accipitur, modicū sit, & labori commensuratum.

Qua ex causa etiā recte defenditur negotiatio illa, quæ *Mons Pietatis* dicitur apud Valentiam q. 23. pu. 4. Molinam disp. 3. 22. & Lessium dub. 23. ex Concilio Lateran. sess. 10. & Tridentino sess. 22. cap. 8. 9. & 11. contra Sotum, & Caietanum. Fit autē ea hoc modo. Respub. certā pecuniæ sumam destinat necessitatibus pauperū, per certos ministros & factores super hac re cōstitutos, cuiq; petenti mutuo dandæ; ea solū conditione, vt exiguū aliquod auctariū solvatur in ministrorū, qui eidē pecuniæ acceptisq; pignorib<sup>9</sup> custodiendis, conseruandis, expendendisq; occupantur, stipendiū.

Talis est etiam obligatio mutuandi, ut recte cum Soto lib. 6. de Iustitia q. 1. a. 2. docet Azor eod. c. 2. fin. quicquid dixerint Bannes & Aragonius hic q. 78. a. 2.

85 Difficultas est primo, an idem dici possit de obligatione non reuocandi pecuniã ante certum & conditũ tempus. Affirmant, secluso scandali & infamię periculo, quidã recentiores apud Molinam disp. 308. n. 8. & innuit Ioannes Medina Cod. de restit. q. 32. Lessius quoq; n. 126. tamen si eam sententiam ipse non sequatur, ait tamen eam videri posse probabilem; & iuxta eam, consuetudinem Bursæ Antuerpiensis excusabilem; tamen si eam ipse non sequatur. Et ratio esse potest: tum quia obligatio illa & per se onerosa est; nec videtur intrinseca mutuo. Tum quia nulla idcirco committitur usura, utpote in eo posita, ut aliquid accipiatur ultra sortem ratione vsus pecunię, ut aperte docet Sanctus Thomas quæstione 78. articulo 1. Et confirmatur: quia ratione eius obligationis mutuans abdicat se iure in re, & pro eo solum accipit ius ad rem; quod iuri in re non æquiualeat: ac proinde merito postea auctarium ultra sortem accipit.

86 At vero eam sententiam simpliciter rejiciunt Aragonius & Bannes quæstione 78. articulo 1. item Molina loco citat. vbi eam etiam damnat, non solum ut nouam & inauditam, sed etiam ut valde periculosam in fide, & quæ viam aperiat vsuris.

Mihi quidem obligatio carendi pecunia, & non reuocandi ad aliquod breue tempus, per se non videtur pretio æstimabilis, quia mutuo, prout à precario distinguitur, intrinseca est; & per se sufficienter compensatur reciproca, nec min⁹ onerosa obligatione mutuatarij, ad sortem eidem restituendam. Idem in simili videre est in venditione, vbi obligatio reuendita carendi, non est peculiari aliquo pretio æstimabilis.

87 Secundo quæri etiam potest, an si quis pecuniam ad vsum alteri concedat, non translato pecunię dominio (ut fieri posse supponimus ex dictis quæstione 1. dub. 2.) possit aliquis præter summam ipsam auctarium aliquod pro ipso vsu pecunię mutuata exigere.

Respondetur, si vsus ille talis sit, ut eo pecunia non consumatur, tunc posse aliquid proportionatum accipi, ex comuni: si autem sit talis, quo res ipsa consumitur, non posse aliquid peculiare pro illo exigi. Quia vsus talis non habet æstimationem distinctam ab ipsa substantia rei; vnde qui hanc compensat, etiam illam compensare censetur: nec est conueniens rationi, ut talis vsuarius plus teneatur domino soluere, quam is qui absolutum dominium eiusdem rei à mutuantem accipit.

88 ASSERTIO IV. Non solum pretium, seu auctarium eiusdem generis cum sorte, sed & quiduis aliud pretio æstimabile, ex vi mutui exigere illicitum est. Ita ex communi S. Thomas qu. 78. a. 2. Ratio patet; quia eiusdem rationis est, accipere pretium, & rem pretio æstimabilem; quando hæc ipsa in pretium redigi potest.

Vnde colligitur vsuram esse, alterum vi mutui obligare, ut is alio tempore vicissim mutuet, iuxta S. Thomam ibid. ad 4. & per consequens etiam, ut in tuo molendino molat, aut ex tua officina emat, licet iusto pretio interueniente, ut recte Valentia, Molina loc. cit. Aragonius, Bannes cit. a. 2. post Antoninum, Gabrielem, Sotum, Caietanum hic, conuenienter cap. *Nauiganti*, de vsuris; quicquid dicat Adrianus, Angelus, Maior, & Rosella, quibus fere consentit Lessius du. 8. Ratio est. Quia etiam illic est obligatio pretio æstimabilis, ut recte S. Thomas, quicquid negent, Bannes & Aragonius.

Secus est, si mutues pecuniam ea lege, ut alter etiam ex pari beneuolentia nunc vicissim frumentum, vel vinum mutuet, iuxta Lessium ibid. n. 53.

Talis est etiam obligatio illa, ut mutuatarius procuret, mutuantem beneficiū Ecclesiasticum. ut recte docent Medina, q. 4. de vsuris, Nauarrus super cap. *Si feneratoris*, causa 14. quæst. 15. n. 17. Binsfeldius quæst. 4. super cap. *Consuluit*, Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 2. nu. 273. quicquid aliqui dixerint. Secus est, si cum solus ad beneficiū ius habeas, solum petas, ut tibi debita promotio non denegetur.

Talis est etiam obligatio, ut mutuatarius pecuniam tibi debitam, vel famam, honorisue violati restitutionem condonet. Secus si quis exigat rem, aut promissionem rei, alioquin ex iustitia debite; nam sic iam ante debitum exigitur.

ASSERTIO V. Tamen si mutuans ratione beneficij, ex beneuolentia præstiti, titulo gratitudinis, auctarium etiam aliud quoppiam, & pretio æstimabile, à mutuatario libere donatũ accipere possit, quin etiã per se loquendo petere, saltem post mutationem: moraliter tamen loquendo, non licet eam donationem deducere in pactum, nisi forte cuiusdam amicitia, cum res talis est, quæ communi vsu ac more, à talibus gratuito ac facile solet præstari. Ita iuxta S. Thomam hic quæstione 78. a. 2. Valentia loc. cit. Lessius cap. 20. n. 58. quicquid de obligatione ciuili absolute dixerint Adrianus 4. de restit. & Antoninus par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 10. Ratio est. Quia alia talia moraliter dantur ab iniustis, ac proinde iniuste extorquentur.

Qua de causa etiam non multum in ijs rebus, quæ difficile gratis præstantur, distinguendum censeo, inter obligationem naturalem gratitudinis, seu amicitia, & obligationem ciuilem, sicubi pactum seu promissio ante mutationem exigitur, cum alioquin ipsa per se etiam promissio acceptata & stipulatione confirmata obligationem ciuilem inducat, ut dictum dub. 1.

Atq; ex his colligitur primo, posse mutuantem certam frumenti mensuram ad certum terminũ, exigere æqualem mensuram, si vel dubium sit, an pretium rei sit minuendum, an augendum; vel etiam si putetur res plus valitura; modo in id vsque tempus fuisset reseruata, detracta tamen æstimatione custodia, & relicta libera potestate mutuatario, ut quamprimum restituat. Secus si in id tempus non fuisset reseruata, ut recte Lessius numero 184. contra So-

tum lib. 6. q. 1. a. 2. & Molinam disp. 311. quia tunc titulus lucri cessantis non habet locum, vt dictum dub. 2. n. 38.

92 Colligitur secundo; Si certum, vel probabile sit, rem postea minus valituram, posse mutuantem maiorem, quam dederit, mensuram, exigere; prout videlicet id magis vel minus certum fuerit; idque siue rem eam alioquin in id vsque tempus seruaturus fuisset, siue iam consumpturus; vt recte Lessius dub. 17. n. 146. quia potest pro re presentem quam alteri tradit, non modo secundum se æqualem, sed etiam (quodam implicita venditione interueniente) in ratione pretij æqualem exigere, secundum eam statum, quem res mutuata modo habet. Quod si nihil de augenda mensura fuerit expressum, sufficit dari æqualem, vt praxis habet, iuxta Lessium n. 148. et si contrarium non improbabiler dicat Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 2. n. 252.

93 Quæritur II. quidnam sentiendum sit de dominio vsuræ. Præter ea, quæ superius de restitutione à fure faciendâ, q. 6. dub. 9. huc æque pertinentia, diximus; sit hæc

ASSERTIO Tametsi vsurarius vsuræ dominium non acquirat, nisi quandoque per accidens, ob commixtionem; res tamen pecuniâ vsuraria comparatas suas facit vsurarius; sicut & pecuniam, quam ex rebus vsurarij lucratus est: licet ipse vicissim rerum eiusmodi venditarum dominium in alium non transferat. Ita Molina disp. 326. Lessius dub. 18. & prima ac vltima pars sumitur ex l. *Ex empto*, ff. de actionibus empti, & S. Thoma hic q. 78. a. 3. Caietano tom. 2. opuscul. 8. cap. 1. Medina q. 4. de vsura, Soto lib. 6. quæst. 1. a. 4. Couarruualib. 3. variarum, cap. 3. n. 6. quicquid in contrarium dixerint Sotus 4. dist. 15. quæstione 2. articulo 3. Paludanus ibidem quæstione 2. articulo 5. Nauarrus cap. 17. num. 265. Adrianus, Henricus, & alij apud Molinam disput. 326. Ratio. Quia sine iusto titulo non transfertur dominium, l. *Nunquam* ff. de acquirendo rerum dominium.

94 Secunda pars est communis; & patet ex dictis de dominio supra q. 1. dub. 5. Quamquam nihilominus alter, quamdiu cumulus ex tali commixtione extat, habeat adhuc ius in re, iuxta Molinam, & Lessium.

Tertia vero pars patet ex l. 1. C. si quis alteri, & l. 8. ibidem. Quarta ex l. *Qui res*, ff. de furto. Requiritur tamen semper vt alter rem bona fide emerit; alioquin contractus est irritus, ex l. *Si in emptione*, ff. de contrahenda emptione.

95 Vnde colligitur etiam, quænam res ab vsurario datæ, licite accipiantur. Illæ enim, quarum dominium vsurarius non habet, per se licite ab eo non accipiuntur; pecuniæ vero, & aliæ res, quarum dominium, ratione saltem commixtionis acquisiuit, licite ab eo accipiuntur; nisi per talem acceptionem fiat impotens ad restituendum suis creditoribus, vt pluribus persequitur Molina tom. 2. disp. 330. & Lessius dub. 19.

Vxor tamen, liberi, & reliqua familia vsurarij, licite accipiunt ea, quæ pro ratione status, ad decentem sustentationem & victum pertinent;

etiamsi vsurarius non habeat aliunde, vnde restituat; modo alioquin status ipse fuerit honeste acquisitus, neque interim creditores multo grauiorem necessitatem patiantur. Excusat enim à restitutione impotentia, ex dictis de restitutione quæst. 6. dub. 15.

Quæritur III. An, quando, & à quibus restituendum sit acceptum per vsuras.

96 ASSERTIO I. Vsurarius seu realis, seu mentalis, si vi mutui præcise datum sciens acceperit, etiam secluso alio pacto, non minus tenetur ad restitutionem, tum acceptæ vsuræ, tum damni emergentis & lucri cessantis, ac fructuum, quos ex re vsurarie accepta acquisiuit, quam fur ad restitutionem rei furto ablata, eorundemq; damnorum & fructuum, de quo actum supra q. 6. dub. 9. Ita communis apud S. Thomam hic q. 78. a. 3. Valentiam q. 21. pun. 3. Molinam tom. 2. disp. 327. & seqq. Lessium dub. 6.

Patet ex cap. *Consuluit*, de vsuris; quicquid alicui de mentali excipiant, rati non teneri nisi eum, qui aliquo signo exteriori suam voluntatem expresserit. Ratio. Quia iniuste acceptum, iure restituendum: atqui vsurarius non minus quam fur iniuste accepit vsuras: Ergo, &c. De qua etiam re Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Quid dicam de vsuris, quos etiam ipse leges & iudices reddi iubent? An crudelior est, qui subrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem fenore? Hæc atq; huiusmodi male vtiq; possidentur; sed vellem vt restituerentur: sed non est, quo iudice repetantur? Vbi Augustinus defectum quendam hac in re sui temporis reprehendit.*

97 ASSERTIO II. Si vsurarius mentalis mala fide (vi mutui scilicet) accepit auctarium, quod tamen re ipsa à mutuuario donatum est, tenebitur is quidem ad restitutionem, quamdiu durabit mala fides, ob erroneam conscientiam; sed ea tamen cessante, non tenetur. Ita ex communi Couarruuias super regulam *Peccatum* part. 2. num. 4. Syluester V. *Vsura* 6. q. 3. Petrus Nauarrus num. 222. Valentia & Lessius loc. citat post Scotum, Gabrielem, Richardum, Angelum, Armillam &c. quicquid in contrarium dixerint Medina q. 4. de vsuris, Adrianus, Caietanus, Nauarrus. Ratio est. Quia in re nulla est inæqualitas. Eadem ratione restituendum, si dubitans vsurarius, qua mente alter dederit, auctarium accipiat, iuxta Lessium n. 45. Male enim aditur possessio rei, cuius accipiendæ nullus probabiliter titulus cognoscitur.

98 ASSERTIO III. Mutuans, si auctarium quidem bona fide, tanquam sponte donatum, acceperit, postea vero resciat, vi mutui datum, tenebitur ad restitutionem rei extantis, si eadem alioquin numero reddenda sit; aut eius, in quo factus est ditior, iuxta regulam possessoris bonæ fidei, de quo dub. 2. de restit. q. 6.

99 ASSERTIO IV. Qui contractum vsurarij bona fide iniuit, ratus esse iustum, ex probabili sententia, potest tantum lucrum seruare, quantum alioquin per contractum iustum acquisiuisset; nisi aperte constet, mutuariatium non nisi vi mutui, secluso omni alio iusto titulo, qui re ipsa ad petendum auctarium interuenisset, dare auctarium voluisse. Ita

Sa V. *vsura*. idemq; sentire viros doctissimos asserit Lessius dub. 12. qui tamen ipse non audeat probare; sed forte cum annexa limitatione non admodum improbare.

100 Ratio est: quia hoc ipso, quod mutuans beneuolo affectu, & bona fide, in gratia mutuatarij suam pecuniam exponit, probabiliter censerit potest, & ipse omni, quo poterat, modo licito, auctarium lucri accepisse, & contra etiam mutuatarius, etsi expresse non monitus, saltem implicite consensisse, ad mutuantem in contractu indemnem seruandum, adeoq; ad præstandum interesse, saltè consuetum illud, quod auctario respondebat, nisi aliunde contrariū constet: licite ergo mutuans saltè ratione lucri cessantis, retinet quod accepit: modo alioquin cætera conditiones ad hunc titulum requisitæ, dum contraheretur, adfuerint.

Accedit, quod talis non tenetur, nisi iuxta leges possessoris bonæ fidei, ad restituendum id, quo ex contractu ditior est factus: non videtur autem ex contractu absolute ditior factus secundū id, quod secluso tali cōtractu, erat lucraturus; quia hoc potius ad eum indemnem seruandum pertinet: merito enim alioquin diceret, se ex tali contractu damnatum sensisse: Ergo, &c.

101 **ASSECTIO V.** Non solū ipse vsurarius, sed etiā omnes illi, qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax, cur vsuræ soluantur, vel solutæ non repetantur, tenentur ad restitutionem in solidum. Patet ex dictis de restitutione q. 6. dub. 14.

Tales autē sunt I. Principes & Iudices, qui vsurarijs vsuras (quas constet esse tales) adiudicant; suntq; excommunicati excommunicatione speciali Clem. vnic. de vsuris, vt præter alios etiam notauit Toletus l. 5. c. 36. Quo tamen non obstante, si necessitas boni comunis id postulare videretur, possunt domini temporales cogere, vt soluantur promissæ vsuræ, vt notat Sa V. *vsura*. Sed hoc moraliter vix accidit: nisi forte per dispositionē supremæ potestatis acquisitio talis auctarij, in mutuo, iam licita fuerit effecta, iuxta dicta n. 79. De qua re vide etiam tom. 2. d. 5. q. 1. du. 3. n. 46.

Quod si ijdē domini vsurarijs solū permittant vsuras, ad maiora incommoda vitanda, nullū eis auxilium præbentes, nec in peccato participantes, nullū vsurariæ rei peccatū incurrunt, vt notant Bannes, Aragonius hic q. 78. a. 3. Molina tom. 2. disp. 331. Lessius dub. 21. n. 179.

102 **II.** Vsurarij procuratores, & aduocati, in causa vsuraria apud citatos.

**III.** Tabelliones siue notarij, si scriptis instrumentis vsuras, sub specie liciti cōtractus, pallient, (secus si cōtractū vsurariū, qualis re ipsa est, conscribant: nisi id ipsū faciant in fauorē mutuatarij, vt mutuū obtineatur, nō mutuantis, vt docent citati; quanquā & tunc moraliter peccant, contra suum iuramentum, vt notat Lessius n. 180.

**IV.** Tutores pro pupillo vsuras exercentes, quicquid leges ciuiles à Canonibus correctæ permittant. V. Proxenetæ seu conciliatores ac mediatores ex parte vsurarij, moraliter ad cōtractū vsurarum concurrentes. Quæ omnia ex communi docent Sorus l. 6. de iustitia q. 1. a. 4. & 5. Nauar-

rus c. 17. à n. 275. Valentia q. 21. pu. 3. Molina tom. 2. disp. 331.

Famulos vero vsurarij absolute à restitutione, absoluit Sotus; obligat Medina, & fere etiam Nauarrus. Sed rectius Binsfeldius, Petrus Nauarrus, Sa, Toletus, Valentia, Molina distinguunt, obligantq; eos, qui pecunijs ad vsuram exponendis, & conficiendis vsurarijs cōtractibus, lucrisq; vsurarijs extorquendis, propinquè domino in vsura accipienda cooperantur, & factores seu procuratores apothecæ appellantur: reliquos vero, mutuatarium ad soluendas vsuras non permouentes, sed remote solū vsurario cooperantes, scribendo rationes dati & accepti, portando & reportando, vel etiam accipiendo & conseruando pecuniam, absolunt: nisi etiam isti intelligentes domini iniquitate, id facere pergant, vt limitauit Valentia cum Nauarro, & Syluestro, quam tamen limitationem Sotus, Toletus, Sa, Molina, Lessius non minus probabiliter prætermittunt.

**ASSECTIO VI.** Hæredes vsurarij singuli non tenentur ad restitutionē vsurarum in solidū, sed tantum pro rata parte. Ira Caietanus in opus. de vsura quæst. 5. Couarruias 3. variarum. cap. 3. numero 7. Sotus lib. 6. q. 1. a. 4. Ioannes Medina de vsura q. 4. Syluester V. *vsura*. q. 20. Petrus Nauarrus n. 414. Carbo q. 57 de vsuris. Sa V. *vsura*. Lessius dub. 20. Molina d. 332. n. 3. diuiduntur enim cum bonis onera, & debita bonis annexa ex l. 2. C. de hæreditat. action. vt etiam in simili de furto dictum q. 6. dub. 9. licet contrarium dixerit Nauarrus cap. 17. n. 268. ratus omnia bona vsurarij esse tacite hypothecata creditorib; quod tamen non satis ex iure probatur, de quo fuit Molina disp. 329.

**Quæritur IV.** Quam sit pœna vsurariorum. Respondetur. In vsurarios manifestos, qui scilicet sunt tales, aut notorietate facti, quod nulla tergiversatione possit celari; aut notorietate iuris, ita scilicet, vt in iudicio sint, aut legitime conuicti, aut sponte confessi, aut legitime damnati, variæ sunt pœnæ constitutæ, vt patet ex cap. *Quamquam*, de vsuris in 6. & apud Syluestrum V. *vsura* q. 4. Quæritio, 4. Couarruiam libro 3. variarum cap. 3.

Prima est infamia iuris ex l. *Improbum* C. ex quibus causis irrogetur infamia; & per consequens irregularitas.

Secunda pœna est exclusio ab altari, quod scilicet nō sint admittendi ad cōmunionē altaris, siue perceptionem Eucharistiæ, cap. *Quia in omnibus*, de vsuris, nec ad oblationes offerendas, sub pœna suspensionis ibidem.

Tertia, exclusio ab absolutione & confessione peccatorū; donec re ipsa satisfaciatur; aut si nō possit, dent idonea cautione, pignoratitia nēpe, aut fideiussoria; vel ipsi creditorib; si sint p̄sentes, vel ordinario loci, aut ei vicario, vel Parocho, coram testib; fide dignis, aut Notario publico, habente mādātū ab Ordinario, ex dicto c. Quamquā. Id vero si p̄sēs periculū nō patiatur, præstito si fieri possit, iuramento de restituendo cum primum poterit, absoluendi sunt, & postea cautio prædicta exigenda erit. Instante verò morte si aliud fieri non

possit,



possit, praeuia promissione, de stando Ecclesiae mandatis, petatur etiam facultas, cum poenitentis animus Episcopo, aliisque ad quos spectat aperiri, ut sepultura Ecclesiastica particeps esse possit. Quod si moriens iam obmutuit, poterit etiam cum solis contritionis signis (si alia haberi non possint) absolui, ut suo loco de poenitentia, dicetur, & pluribus prosequuntur, Syluester V. Restitutio 6. §. 1. Nauarrus man. c. 17. n. 281. & Toletus lib. 5. cap. 36.

107 Quarto. Nec admittendi sunt ad sepulturam Ecclesiasticam ex cit. cap. Quia in omnibus; alioquin scilicet sepelire praesumentes, ipso facto sunt excommunicati; nec absoluedi, donec arbitrio Episcopi satisfecerint Clement. 1. de sepultur. Quod restringendum videtur, iuxta notatorem Bullae Ad existanda, si nominatim sint denunciati, ut notat Lestius n. 188.

Quinto. Testamenta ipsorum sunt inania; nisi ante mortem soluerint, aut legitimam cautionem praestiterint, ex cit. cap. Quamquam.

108 Denique Ecclesiastici non possunt usurarijs e locare domos; sed tenentur de suis terris eos expellere; alioquin ipso facto sunt suspensi, si sint Episcopi, excommunicati, si minores Episcopis; Interdicti, si sit collegium, vel vniuersitas, ex cap. 1. de usuris. Ipse tamen usurarius non est excommunicatus, ut ex Syluestro & Soto notat Toletus lib. 5. c. 36. & consentit Lestius dub. 22.

109 Quod si usurarius non est notorius, perinde est illo agendum erit, ac cum alio quouis ad restitutionem suae satisfactionem obligato. Itaque, si videatur obtenturaturus, potest absolui prima vice: si semel ita absolutus redeat, nondum facta restitutione; idque sine rationabili causa, ordinarie non est absoluedus, nisi prius restituat. Sed & in articulo mortis absolui potest, dummodo testamento, vel alio modo caueat, si potest, ut heredes restituat, ut bene Toletus loc. cit. & pluribus dicitur suo loco de poenitentia.

110 Queritur quinto, an & quomodo mutuū sub usura peti possit, neglecto usurarij peccato. Respondet; id constare ex dictis de fide disp. 1. q. 9. du. 5. & de charitate disp. 2. q. 6. d. 8. & 9. Summa est, peti posse, causa necessitatis, vel conuenientis utilitatis; non autē absque omni causa; fore enim id peccatum mortale existimat Valentia q. 24. punct. 4. quamuis neget Sa V. Usura.

Certe quidem S. Thomas q. 73. a. 4. vniuersim pronuntiat, licitum esse ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuū accipere sub usura, propter aliquod bonum; quod est subuentio sine necessitate, vel alterius. Sicut etiā licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona quae habet, ne occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael; Noli occidere nos; quia thesauros habemus in agro, ut dicitur Ieremias 41. Id enim non esse inducere hominem ad peccandum; sed vni peccato alterius ad bonum; neque ita mutuū accipientem dare occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi; ipse autem usurarius, inquit, sumit occasionem peccandi, ex malitia cordis sui; ita ut sit scandalum passivum ex ipsius parte, non autem actiuum ex parte petentis mutuū.

111 Et ibidem responsione ad 3. Si quis committeret peccatum suū usurario, non habenti alias, unde usuras ex-

ereret; vel hac intentione committeret, ut inde copiosius usuram lucraretur, daret materiam peccandi; unde & ipse esset particeps culpa. Si autem aliquis usurario alias habenti, unde usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutius seruetur, non peccat, sed vitatur homine peccatore ad bonum. Ita S. Thomas. Plura locis citatis.

#### DVBIVM IV.

### De Censibus, seu contractu Censuali; eiusque iustitia & iniustitia.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 77.

112 **Q**uamuis S. Thomas solum de contractu emptionis, ac mutuū agat; quia tamen contractus humani plures sunt; de ijs etiam breuiter agendum est; ac primum de Censu, seu contractu censuali; qui tametsi quidem etiam emptio quaedam & venditio sit, ut dicetur, specialem tamen difficultatem habet.

Primo igitur queritur, Quid, & quotuplex sit Census. Respondetur ad 1. Etsi quidem Census saepe ipsam pensionem censualem, nonnunquam etiam contractum censualem significet; in proposito tamen accipi, pro iure ad eam pensionem accipiendam. Qua proinde notione Census ita definitur. Est ius percipiendi aliquam pensionem (hoc est utilitatem, seu pecuniariam, seu fructuariam) ex re, vel persona alterius utili, v. g. ex agro, ex domo &c. soluens pensionem dicitur *Censarius*, percipiens *Censualista*. Eiusdem vero Iuris emptio & venditio vocatur contractus censuali.

113 Ad 2. Census multiplex est. Primo enim ex parte modi, quo constituitur, Census alius dicitur *reseruatiuus*; cum quis fundi sui dominiū transfert in alterum, reseruata sibi certa pensione; qui tamen census huc proprie non spectat; licet hic etiā intercedat virtualis emptio & venditio Censui; alius dicitur *consignatiuus*; cum quis retento rei dominiū, consignat alteri certum ius pensionis; quicensus huius loci proprius est.

Secundo ex parte rei censuali, in qua fundatur census, quidam est *personalis*, in persona scilicet, eiusque; industria fundatus; alius *realis*; qui fundatur in re aliqua fructifera.

Tertio ex parte rei, quae percipitur, alius fructuarius est, cum fructus percipiuntur; alius pecuniarius, cum pecunia; & uterque rursus certus vel incertus, prout certa vel incerta portio percipitur.

Quarto ex parte temporis, alius est temporalis; isque vel ad vniū, aut plurium vitam, vel solum ad certos annos; alius est perpetuus, saltem quamdiu à venditore non redimitur.

114 Quinto ratione pacti superuenientis, alius dicitur redimibilis; idque vel ex vtraque parte, tam emptoris, quam venditoris; vel ex vna tantum, seu venditoris; quod ordinarium est; seu solius emptoris; quod rarum; alius irredimibilis, qui ex neutra parte redimi potest.

Vterque vero census tam reseruatiuus, quam consignatiuus differt ab emphyteusi, quod per hanc rei nostrae dominiū vile alteri traditur pro

certo pretio (quod laudemium dicitur;) & certa pensione annuatim soluenda; siue ad vitam, & dicitur vitalitium; siue ad certos annos, siue in perpetuum; cum tamen in censu reservatio tam directum, quam utile dominium rei nostræ in alterum transferatur; in censu vero consignatio, neutrum.

115 Ab utroque tam censu, quam Emphyteusi, differt feudum, quod est concessio rei immobilis fructifera, quoad dominium utile, reservato directo, pro homagio seu obligatione quadam personali fidelitatis ad seruiendum. In dubio vero, an contractus sit censualis, an emphyteuticus, iudicatur censualis, ita ut dominium rei, tam directum, quam utile pertineat ad possessorem, qui pensionem soluit, non ad eum cui pensio soluitur, nisi contrarium probetur, ut ex communi docent Conarruias l. 3. var. c. 7. n. 1. Molina disp. 381. n. 6. & Azor tom. 3. l. 10. c. 3. de censibus.

116 Quæritur secundo, an & qua ratione contractus censualis sit iustus.

ASSERTIO I. Emptio & venditio census tam noui, quam veteris, est contractus sua natura licitus & iustus. Ita communis & certa Doctorum sententia; contra Gandauensem quod l. 8. q. 2. 3. qui negat, emptionem noui census esse licitam, quod significant etiam Innocentius & Ioannes Andreas in cap. *In Civitate*, de usuris.

Probatur auctoritate Principum utriusque Reipublicæ, nempe Summorum Pontificum, & Regum ac Imperatorum, qui in suis constitutionibus, sine discrimine temporis census approbant, ut speciatim videre est in Extrauagantibus communibus Martini V. & Calisti III. tit. de Emptione & venditione. Ratio est; quia eadem est ratio census noui & veteris, & qui nunc vetus est, olim nouus fuit. Deinde sicut res ipsa tota, ita & ius aliquod certum in rem licite venditur. Nec verum est, in censu etiam pecuniario, solum emi pecunias, ut existimauit Gandauensis, cum potius ematur ius ad pecunias ex re fructifera percipiendas.

117 ASSERTIO II. Ut contractus hic licitus sit, iure natura quatuor condiciones requiruntur. Prima, ut census fundetur in re fructifera, quæ suo tempore debitam pensionem, seu immediate, seu mediate (ut sit, cum pecunia ex agro soluenda) reddat etiam si non annuatim: siue ea res sit persona, modo possit ac velit sua industria tantam pensionem lucrari: siue res alia, seu mobilis, ut est pecunia, modo hæc sit in statu fructificandi, atque adeo negotiationi exposita, seu immobilis, ut est ager, domus, redditus annui, & census ipse, utpote in quo nouus adhuc census fundari potest: & siue demum res aliqua certa determinetur, siue res omnes indifferenter censui subijciantur; quia hæc omnia utriusque se habent, ad ius natura nihil refert, ut inferius magis patebit, & recte docent Medina q. 11. de usuris, & Valentia q. 22. pu. 2. qui addit, cum Soto lib. 6. q. 5. art. 1. ex communi, ad eiusmodi pensionem soluendam, omnia bona censuarij & ipsius quoque personam obligata esse.

118 Secunda conditio est, ut census ematur iusto pretio. Censetur autem iustum, quod vel lege, vel iudicio prudentum & bonorum virorum taxatum fuerit; spectata conditione rei, ex qua census emitur, & temporis ad quod emitur, ac simul quantitate pensionis, & alijs rationibus generalibus, in taxando mercium pretio spectandis, de quibus supra dub. 2.

Et quidem in Imperio in censu perpetuo, siue ex parte solui venditoris redimibili, iustum & legale pretium est viginti aureorum pro vno, adeoque centum pro quinq; ut ex constitutionibus Imperialibus, & immemorabili consuetudine probatur. Binsfeldius q. 14. in cap. *In Civitate*, de usuris.

Quoniam seclusa hac lege, quandoque etiam iustum censeri posset pretium, centum pro septem, ut notauit Valentia q. 25. pu. 2. Quod autem pro censu reali redimibili, pretium lege taxatum esse in singula, dixit Lessius cap. 22. dub. 14. numero 104. intellexisse videtur, de censu redimibili solum ex parte venditoris: quod ipsum tamem in Imperio locum non habet, ut dictum. Alioqui maius pretium natura sua requiri in censu utriusque redimibili, omnino notant, quia tunc maius, ac speciale onus imponitur venditori.

119 Quoniam si ubi lex illa Imperialis promulgata, vel recepta non est, & communi consuetudine, etiam quinq; pro centum in censu utriusque redimibili soluuntur, fieri potest, ut iuste utrumque pretium pro utroque censu accipiatur, cum pretia naturalia in diuisibili non consistant, & id iustum sit pretium, seclusa lege positua, quod communi prudentum existimatione taxatur, ut notauit Valentia loco cit.

Certe quidem regulariter necesse non est, tantum esse pretium, quanti sunt ipsæ pensiones omnes suo tempore percipiende, sed communiter multo minus: idque varijs de causis, tum quod proprie & immediate non emuntur pensiones, sed ius ad pensiones: tum quod ipsæ pensiones varijs periculis ac labori acquirendi successu temporis expositæ esse solent. Sicut etiã ob eandem causam, longe minori pretio emitur ager, quam sit omnis ille fructus, qui successu temporis ex eo speratur, ut optime dixit Valentia q. 22. pu. 5.

120 Quandoque tamen, si census solum ad breue aliquod tempus ematur, (v. g. ad annum, quo singulis mensibus pensio aliqua soluenda sit) nec vllum appareat periculum, vel difficultas, in acquirenda pensione, per se loquendo, iuste non poterit census minoris aestimari, quam pensiones ipsæ valeant, ut docent Gabriel in 4. d. 15. q. 12. Ioannes Medina de usuris q. 3. de censibus, Soto lib. 6. de Iustitia, q. 5. a. 2. & Valentia q. 22. pu. 5. quicquid Conradus q. 80. de contractibus, & fere Nauarrus in comment. c. 14. q. 3. n. 71. Couarruias 3. var. c. 7. n. 4. in contrarium dixerint, quibus quoad censum realem consentit etiam Molina to. 2. d. 386.

121 Tertia conditio est, ut si res censualis pereat, aut penitus sterile scat, non amplius apta tanto fructui ferendo, (citra Censuarij culpam,) censualiter pereat & sterile scat, secluso speciali pacto affecutionis, ut ex communi docent Valentia loco cit. quæst. 22. pun. 2. & Molina tom. 2. disputatio. 390. num. 6. & colligitur ex bulla Pij V. de censibus, quicquid indiscriminatim dixerit Soto libro 6. de Iustitia quæstione 5. articulo 1.

quasi nihilominus maneat obligatio soluendi pensionem.

Ratio est; nam qualibet res, per se loquendo, domino suo perit; cū ergo Censualista sit dominus iuris ad pensionē ex re recipiendā, quod re pereunte, utiq; simul perit, Censualistæ peribit.

Si tamē res censualis vno vel altero anno solū sterilis sit, nō ideo liberatur Censuaris à soluenda pensione; modo reliquis annis tantum ferat, quantum ad pensionem soluendam sufficit, vt docent Sa etiam in edit. recognita V. Censu & Valentia q. 22. pu. 2. et si Molina in casu fortuitæ sterilitatis neget tom. 2. disp. 390. n. 6. & disp. 386. n. 4. vbi ait; In censu reali, si res, in qua census est collocatus, casu fortuito, vno aut pluribus annis, fructus non ferat, non debet eo anno, aut annis, censum, quantum est ex natura contractus, nisi peculiare aliud pactū ei addatur. Nimirum quia existimat, emptionem census mere realis non aliud esse, quam emptionem iuris, ad recipiendū partem fructuum; quos res censui subiecta quotannis reddiderit. Quod tamen non probatur; & satis refellit ipsa praxi, qua ex agris quotannis constitutus census soluitur, etiam si agri secundo aut tertio quolibet anno quiescant. Accedit quod ita etiam consuetudo locum specialis pacti supplere potest.

122. Quarta cōditio est, vt res censualis in scio Censualista, non transferatur in alium, à quo soluenda pensio ægre, minusque secure obtineatur, vt bene docent Sotus l. 6. q. 5. a. 3. & Valentia q. 22. pun. 7. Ratio est; quia cū Censualista ius habeat ad rem censualem, non debet illud tali venditione reddi deterius,

123. ASSERTIO III. Iure vero humano, plures alia cōditiones requiruntur ad iustitiā contractus censualis. Probat & declaratur. Etenim hæc de re variæ inueniuntur Bullæ, & cōstitutiones Pontificæ; nimirū primo duæ Extrauagantes Martini VII. & Callixti III. inter communes de emptione & venditione, quarum etiam mentionem faciunt Sotus loc. cit. a. 1. Couarruias l. 3. variarum c. 7. n. 6. Carbo q. 58. de Restit. & Valentia q. 32. pun. 7. Sed qui tamen Pontifices census quidem certis cōditionibus initos approbarunt, sed alios non improbarunt, vt recte notarunt ijdem.

Secūdo reperiuntur duæ speciales cōstitutiones pro regno Siciliae editæ à Nicolao V. & Gregorio XIII. qui eidem regno concessit, vt cū tribus conditionibus possint census emi. 1. vt census constitutur super aliqua re certa vna, vel pluribus; esto simul addatur obligatio generalis omnium bonorum, 2. vt venditor possit redimere quando placuerit, 3. vt census non excedat tertiam partem fortis, seu pretij. Quæ tamen Bulla, quia particularis est, per se ad reliquam Ecclesiam non pertinet.

124. Tertio vero huc potissimum spectat Bulla Pij V. edita anno 1569. quam refert Nauarrus Manual. c. 17. n. 234. Molina à disp. 389. & Valentia q. 22. pun. 7. sequentes conditiones requirens. 1. Vt census non instituat, nisi in re immobili, certa, & natura sua fructifera: vbi proinde vetatur census personalis. 2. Vt pretiū census statim

soluatur coram Notario & testibus. 3. Ne anticipatæ solutiones pensionū deducantur in pactū.

4. Ne vel directe vel indirecte obligetur Censuaris, ad præstandos casus fortuitos, ad quos alias ex natura contractus nō tenetur. Vbi prohibetur pactum assecurationis, alias iure naturæ, tam in hoc, quam in quouis alio contractu licitum, vt ex quadam consultatione Romanorum Theologorum recte notauit Valentia q. 22. pun. 6. illud tamen simul addens, nulli suadendum hoc pactum, sed tolerandum, sicubi lex humana non obstat, & intentio vsuraria absit.

5. Vt libera, nec villo pacto grauata maneat facultas censuario, alienandi rem censualem. 6. Vt non fiant pacta, quibus censuaris si in mora sit soluendi pensionem, obligetur ad vllam pœnam: quamuis iure naturali teneatur compensare damna Censualistæ inde reuera emergentia, vt recte Carbo loco citato. 7. Ne vnquam augeatur census institutus; nec nouus fundetur super eadē re; nisi vt recte notauit Nauarrus loco cit. noua pecunia soluatur. 8. Ne fiat pactum, vt solutio onerum pertineat ad venditorem, quæ ex natura contractus ad eum non spectabant.

9. Vt pereunte re censuali, vel ex toto, vel ex parte, census quoque vel ex toto, vel ex parte pereat; quæ cōditio iuris naturalis est, si res ita pereat, vt census totum ferre amplius nunquam possit; secus si ad vnum solum annum sit sterilis, vt supra dictum.

10. Vt census semper sit redimibilis ex parte venditoris, reddito eodem pretio, & censualista bimestri prius ea de re præmonitō, quam census redimatur; quo facto, cogi quoque intra annum poterit censuaris ad redimendum.

11. Ne fiat vllum pactum, obligans venditorē ad redimendū censum. Vbi damnatur census ex vtraq; parte redimibilis: vt etiā factū esse in quadā Cōstitutione Imperiali Augustanorum Comitiorum notat Valentia cit. q. 22. pun. 6.

Ceterū circa hanc bullā, & cōditionē postremā dubiū est primo, an ea cōditio necessaria sit iure naturæ. Respondeo breuiter, verosimillimum videri, non esse necessariam iure naturali, saltem in censu reali; adeo vt etsi quidem census vtrinq; redimibiles suaderi non debeant, ob speciem mali, & periculum vsuræ; attamen vbi lex positua non obstat, tolerari possint, vtpote naturali iuri nō repugnantes. Ita docet Maior 4. dist. 15. q. 43. & 44. Gabriel q. 12. Conradus q. 84. Medina q. 15. de vsura, Valentia q. 22. pun. 6. cū Theologis Romanis. Tolertus l. 5. c. 45. Aragonius q. 78. a. 4. Lessius c. 22. dub. 10. Azor to. 3. l. 10. c. 17. q. 4. Ratio est; tum quia hoc pactum redimendi in omnia venditione licite potest interponi, vt superius diximus dubio 2. Tum quia simile pactum in gratiam censuarij additū, licitum est, secundum omnes. Neq; verò ideo census in mutuū transit; licet enim capitale recipiatur, nō tamē recipitur pro capitali prius dato, eiusue vsus; sed pro restituendo seu remittendo censu.

Nihilominus contrarium docent Sotus lib. 6. de Iustitia. q. 5. a. 3. (pactū hoc in omni venditione reprobās) Couarruias c. 9. variar. n. 4. Nauar-

rus commentario de usura n. 78. Binsfeldius loco cit. Sa V. *Census*, Rebellus lib. 10. de Iustitia, q. 7. n. 1. & alij; existimantes, tale pactum tollere naturam census, atque adeo esse contra ius naturæ.

Rationem adducunt. Talis enim censuaria, aut voluit emere censum perpetuum, aut solum temporalem, ad aliquot scilicet annos, aut quamdiu ipsi placuerit. Si primum; cur ergo obligavit Censuarium ad redimendum? Si secundum; cur ergo dedit centum pro viginti quinque, vel quinquaginta: & quod plus est, quo iure post elapsos illos annos reuendit, in quod nullum amplius ius habet? Solum enim emit ad tres annos, nec post tres annos amplius ius habet; cur ergo reuendit, quod suum non est?

Sed facile respondetur, emisse censum perpetuum; ita scilicet ut eo perpetuo frui possit, nisi à censuario redimatur; quemadmodum etiã accidit in emptione domus, seu alterius rei. Emitur enim domus, siue ius in domum, perpetuum; & tamen nihilominus redimi potest.

230 Molina vero disp. 377. tamen si hunc contractum ex rei natura licitum esse asserat, putat tamen communitate esse iniustum, eo quod debitum pretium in redemptione non exigatur, sed iusto maius; putat enim iuste non posse tantum pretium accipi in redemptione, quantum fuerat datum in prima emptione; eo quod in hac duplici onere (tum asscurandi scilicet pensionem; tum redimendi censum) fuerit grauatus primus venditor, quo caret secundus venditor. Verum Valentia q. 22. pun. 2. ex consultatione prædictorum Theologorum Romanorum rectius sentit, id quãtũ est ex iure naturæ, nõ esse illicitũ; eo quod tamen si venditor in secunda emptione non ita grauatur, liberatur tamen eodẽ duplici onere venditori utili, emptor; quod tantundem est.

231 Secundo dubiũ est, an Bulla Pij V. quoad prædictas conditiones, iure naturali non necessarias, in conscientia obliget. Respondeo sequentibus pronuntiat. I. Non obligare ubi recepta nõ est; quia leges humanæ communitate pendunt ab acceptatione, ut suo loco de legibus dictum tom. 2. disp. 5. q. 5. du. 3. Neq; vero voluit Sapientissimus Pontifex, alios Principes alium contrahendi modum, naturali iuri alioquin non repugnantẽ, secutos, in sua temporali iurisdictione perturbare; quando re ipsa Gregorius XIII. in Sicilia regno alium contrahendi modũ approbavit, ut dictum.

232 Respondetur II. Probabilissimum videri, eam constitutionem fundari in præsumptione fraudis & intentionis usurariæ; ac proinde si veritas stet contra præsumptionem, fraudis; & mala intentio absint, adsintq; conditiones iure naturali in hoc contractu requisitæ, sine peccato prætermitti cæteras conditiones, iure tantum humano præscriptas; quales sunt omnes, præter nonam, ut dictũ est. Ita docent Nauarrus in Commentario de usura, n. 96. Valentia q. 22. pun. 2. qui puncto 6. hoc idem recte quoque asserit de Constitutione prædicta Imperiali. Ratio est; quia principalis intentio videtur fuisse, homines metu forensis iudicij ac præsumptionis, auocare ab usura periculis & usuraria cupiditate; non autem probas con-

scientias, & extra peccati periculum positas, onerare tot nouis ac per se non necessarijs legibus ac conditionibus.

133 Respondetur III. Obligari nihilominus Iudices per supradictas constitutiones, sicubi receptæ sunt, ut nõ admittant contractus censuales, absq; eiusmodi requisitis conditionibus celebratos. Ita Valentia q. 22. pun. 2. & 6. Ratio est; quia hoc minimum intendit Pontifex; id quod etiam ad eius intentionem sufficiebat, ut dictum.

Neque vero dici potest, eiusmodi leges, utpote Ecclesiasticas & Pontificias, solum spectare vel ad forum Ecclesiasticum, vel ad proprias ditiones Ecclesiæ Romanæ; siquidem contrarium constat ex verbis Bullæ; neq; negari potest, Pontificem in ordine ad bonum spirituale animarum, habere potestatem ferendi leges etiam de rebus temporalibus, in vniuersa Ecclesia, ut generatim de fide dictum, disp. 1. q. 4. dub. 7. & pluribus dicitur tomo 4. de Exempt. Clericorum.

134 Respondetur IV. Eam constitutionem Pij V. quoad aliquas saltem conditiones, in Germania, alijsq; locis re ipsa nõ videri receptam. Ita quidẽ de Belgio absolute pronuntiat Lessius c. 22. dub. 13. idemq; se credere ait, de Gallia & Germania. Certe quidem contractus censuales in Germania passim, nemine prohibente, celebrari videtur, sine pleriq; eiusmodi conditionibus; nec in celebrandis contractibus mentio, aut ratio haberi solet supradictæ constitutionis Pij V. Plura apud citatos.

D V B I V M V.

### De Cambijs, eorumque iustitia & iniustitia.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 77.

135 **Q**uæritur primo, Quid sit Cambiũ. Respondetur: Cambium quidẽ generatim loquendo, nihil aliud est, quam permutatio; cambire enim permutare est: at vero in proposito significat commutationem lucrosam pecuniarũ aliquo modo diuersarum, videlicet aut secundum speciem, aut secundum locũ; ita quidem ut vicissim transferatur dominium eiusdem pecuniæ.

Differt à mutuo; tum quia hoc proprie non est permutatio, seu vltro citroq; datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia; tum quia mutuum ex sua natura postulat dilationem solutionis, siue vnterualum temporis intercedat inter dationem & redditionem; quod cambio per accidens est. Et quamuis etiam res existens permutari possit cum futura; nempe triticum præsens cum eo, quod fuerit collectũ in messe, ut contra Sotum l. 6. q. 12. art. 2. recte dixit Nauarrus Man. c. 17. n. 287. contractus tamen permutationis nõ est in sua ratione completus, nisi res re ipsa sit tradita. Qui in alterius gratiam pecuniã mutat, vocatur *Campfor*; qui mutatam accipit *Campsuarius*, siue *Campfaris*.

136 Quæritur secũdo, quotplex sit, seu quot modis accidat cambiũ. Respondetur esse multiplex. Nam primo cambiũ aliquod dicitur *mutuum* siue *simplex*; cum quis in eodem loco monetam cũ alia diuersi generis commutat; argenteã pro aurea; magnã pro parua; detritã pro noua; abrasã seu minoris ponderis, pro moneta maioris poderis, seu integra.

Secundo

137 Secundo aliud est Cambium locale, per translationem realem pecuniæ; cum scilicet pecuniæ ex loco, ubi minus valent, exportantur in alium, ubi plus valent, & sic cum lucro expenduntur; quod quidē, per se loquendo, licitum esse nemo dubitat; modo nec pretium utrobique; currens negligatur; nec contra Principis decretum pecuniæ exportentur: quamvis ex hoc capite nullū peccatū agnoscere videatur. Nauarrus Manuali c. 23. n. 60. & 61. nisi expresse sub peccato prohiberetur. De qua re ex materia de legibus iudicandum est.

138 Tertio aliud est Cambium locale, per virtuale translationem pecuniæ à Campfore faciendam; quando scilicet in presenti loco Campfor accipit à Campsuario certam pecuniæ summam, ut eandē in alio loco refundat, subducto sibi convenienti lucro. Quod vocatur etiam *cambium translationis*, siue per literas; quia scilicet Campfor literas dat Campsuario, quarum vi Campsuarius in alio loco, ubi Campfor itidem mensam, vel socios cambij habet, tantundem recipiat.

139 Quarto aliud est Cambiū *ratione absentia*; quando scilicet è contrario Campfor in presenti loco dat certā pecuniæ summam Campsuario, ut ab eo vicissim in alio loco tantundem recipiat, cū lucro convenienti. Et plures modos huius generis refert Toletus l. 5. c. 54. Quæ omnia etiā vocantur cambia realia & proprie dicta.

Quinto vero aliud est *cambium custodia*; improprie dictum; quo scilicet apud Campforem certa pecuniæ summa custodienda deponitur, eiq; ratione custodiae convenientis lucrum tribuitur; etiam si interim Campfor non prohibeatur deposita pecunia suo commodo uti.

140 Sexto deniq; aliud est *Cambium fectum*, vel potius fictū, quo Campfor pecuniā Campsuario ita tradit, tanquā si foret recipienda in loco distant; cū reuera tamen in eodem loco, ubi traditur, persolvenda sit: siue quia Campfor alibi mensā aut correspondētē non habet; siue quia campsuarius alibi pecuniā non habet: idq; facit campfor ea de causa, ut honesto prexto cambij, sub specie translationis pecuniæ, vberi⁹ aut securius lucrū faciat. Simili ratione vocatur etiā *recambiū fictū*, si rursus campfor ex illo loco fictitē recambiat in locum priorem, ubi contractus initus, cum iterato lucro. Alios cambij ficti modos refert Toletus cap. 52.

141 Atq; hæc sunt magis proprie species cambij: quas autem alij species dicunt, potius sunt tituli varij, quibus tum in eodē, tum in diversis cambijs, lucrum accipi potest, de quibus infra.

Diuisio autē ordinata, earundē specierum ita facile iniri potest; ut nimirū primo cambiū aliud sit propriū, aliud impropriū: hoc rursus aut fectum; aut quod diximus cambium custodiae. Secundo, propriū aliud est minutū seu simplex; aliud locale; hoc rursus duplex; aut per translationem realem pecuniæ; aut per translationem virtuale: hoc deniq; iterum duplex, nimirum aut cambium translationis, aut cambium ratione absentia.

142 Quaritur tertio, an prædicta cambia sint licita. Respondetur, reliqua omnia, postremo excepto, per se loquēdo, esse licita, si tres circūstantia siue conditiones eodēcurrant: Prima, ut suppetat & spectetur

iustus aliquis titulus recipiendi lucrū ex tali commutatione: nisi enim in commutatione aliqua, specialis eiusmodi titulus interueniat, non potest summa æqualis, nisi pro æquali commutari, ut patet ex mutuo. Talem autem titulum in omni eiusmodi cambio interuenire solere, inferius patebit. Secunda, ut lucrū non sit iusto maius, spectato communi virorum bonorum ac prudentum iudicio, ac probato contrahentiū vsu. Tertia, ut fraus & dolus absint; quæ tum alium quemlibet contractū, tum præsertim cambia facile inficere ac deprauare possunt; ut si pecuniæ adulteræ pro veris obtrudantur; si pecuniæ non commutentur secundum valorē, quē in eo loco habent; si pacta non seruentur. &c. Atque ita ex communi docent Syluester V. *Iura* 4. Caietanus opusculo de Cambijs, Nauarrus Manuali c. 17. n. 288. & sequentibus, Valentia q. 23. de Iust. Molina de Contractibus disp. 338. & sequentibus, Toletus l. 5. c. 50. & sequentibus, Sa V. *Cambij*. Ratio patet; quia in omni vero contractu, ex se non iniusto, licet ultra fortē auctarium accipere, si iustus titulus suppetat.

144 Sed difficultas est, de specie quadam Cambij & recambij, à cambio sicco nō multum abluentis; quod à nonnullis *defunctinum* seu *Placentinū* dicitur, eo quod ad eas vrbes frequentari soleat; & est illud, quod dirigitur ad locū, ubi Campsuarius, nec vllā pecuniā, nec vllum respondētē, nec fidē habet; sed rogat Campfore à quo pecuniā in presenti accipit, ut ipse eius nomine aliquē, qui respondeat, procuret, vel ut ipse per suū factore, quē alibi habet, respondeat; qui qdē postea eandē pecuniā per recambiū & literas remittit, ut ita fiat solutio Cambij & recambij, in loco, ubi pecuniā fuit primo recepta; non sine graui incommodo ipsius campsuarij, qui in eodem loco, ubi pecuniā accepit, cogitur soluere pretiū cambij & recambij, duplicato campforis lucro.

Et quidē tale Cambiū nō esse contra iustitiā, si bona fide iustū pretiū, quantū fieri potest, constituitur, censuisse in quadā cōsultatione sex viros doctissimos in Lusitania, & sentire Syluestri verbo *Iura* 4. q. 9. dicto. 6. & Nauarrū l. 5. consil. 1. tit. de vsuris & Man. c. 17. n. 289. & 301. & Thomā Boninignū c. 7. de Cambijs, n. 7. 8. & 9. refert Lessus l. 2. c. 23. dub. 7. qui & ipse multa pro eius sententiā probabilitate disputat.

145 Tandē tamen in hunc modū concludit. I. Si is, qui petit à Campfore, nō sit habiturus pecunias alibi (eo scilicet loco, ad quē dirigitur Cambiū) actu vel potestate, seu in credito, idque Campfor norit, contra iustitiā peccare Campforem, si ei ad illum locum cambiat. Hanc ait esse communem Doctorum sententiā, speciatim Syluestri, Nauarri, Boninignij locis citatis.

Ratio est; quia dare ad cambium (in presenti) vel est permutare pecuniā presentem cum absente, vel est pecuniā absentē emere aut transferre: atqui hic non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campfore, vel permutari, cum pecuniā presente: ergo est emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde proueniens caret iusto titulo. Sicut si quis emeret boues ab aliquo, qui nullos habet, eosque illi certo

pretio

pretio locaret, lucrum iniustum faceret; quia nulla est hic locatio, sed solum fictio locationis, vt etiam notauit Syluester loc. cit.

146 II. Si is qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicū, vel aliū, qui nō sit in ministerio, vel societate campforis, non peccare contra iustitiā campforē, si nolit ei dare, nisi ad cambiū in talem locum: etsi fieri possit, vt peccet contra charitatem proximi.

147 III. Si is, qui petit à campfore, non possit habere aliū, qui ipsi<sup>9</sup> nomine satisfaciāt in loco cōdicto, quam ipsū campforem, vel sociū eius, cui pecunia in loco illo est numeranda, probabile esse, contra iustitiā esse, tunc ad cambiū dare: contrariā tamē sententiam non esse improbabile, & speculatiue veriolem; tamen omnino dissuadendam, nec facile permittendam.

Prior pars pbatur; quia ita tenent multi Doctores; videtur enim esse mutuū palliatū: intentio enim nō videtur alia, quā dare pecuniā, cum obligatione, vt in eodē loco restituatur: cetera videntur agi non serio, sed tegendi mutuī causā.

148 Secunda pars pbatur, quia nihil obstat, quo min<sup>9</sup> campfor duas psonas sustineat, siue per se, siue per suos famulos; & tantundem esse videtur, ac si campsuarius in loco condicto alium haberet amicū, qui nomine ipsius reciperet debitum, & denuo recambium institueret, in locum primi contractus.

Tertia pars probatur; tum quia sæpe est cōtra charitatē; tum quia inducit præsumptionē iuris, & de iure, vsurarum, vt patet ex Bulla Pij V. de Cambijs: Vnde talis in foro externo posset plecti tanquam vsurarius.

149 Ex his primū dictū mihi videtur certū, & extra controuersiā; quia si vllū est cambiū fictū, illud est, de quo in eo pronuntiato sermo est; fictū autem cambiū seu fictū, tanquam ipso iure naturali illicitum ab omnibus damnatur. Posterior etiam pars secundi & tertij dicti, sicut & prima tertij, itidem certa est, & difficultatem non habet.

150 Sed prior pars secundi dicti, & secunda pars tertij dicti videntur habere difficultatē, & meo iudicio oppositū videtur verius, Quia iniustū & iniquū est, vi alicius contractus, ppriā suā æqualitatē habentis & poscentis, velle alterū cōtrahentem obligare ad aliū contractū eidē contrahenti onerosum & incommodū, vt de mutuo seu vsura dictū dubio 2. Ergo etiā iniquū est, vi vnus cambiū, campsuariū obligare ad aliud recambium, sibi adeo incommodum ac perniciosum.

Accedit quod vteunq; quasi secundū rationes Metaphysicas circulo<sup>9</sup> quidā instituat, ne pecunia vnus speciei permutari videatur in eodē loco cum simili pecunia addito auctario, re ipsa tamē & moraliter hic aliud fieri nō videtur, quā vt eodē loco pecunia p̄sens p̄mutetur cum absente, seu in futuro soluenda, addito simul ex vi ipsius per se contractus non leui auctario; quod est vsurarium.

Neq; Syluester loquitur in hoc casu, quando Campfor cogit campsuariū ad tale recambium, sed quando campsuarius sponte ac per se ex distanti loco recambium procurat, vt hic per cambium pecuniam comparet.

Quæritur quarto, quā sint iusti tituli in ceteris cambijs, percipiendi lucrum vltra sortem.

151 Responderur primo, esse in primis generales illos quatuor titulos, ob quos etiā in mutuo, vltra sortē auctariū accipi posse dictū est dub. 2. Et quidem prætermissa donatione, & pœna conuentionali, titulus talis est damnū emergens, & lucrum cessans: sæpe enim cum aurea moneta plus lucrari potest mercator, quam cum argentea: quamuis prohibuerit Pius V. propria Bulla de Cambijs, pacifici de certo interesse lucri cessantis, quod tamē, seclusa fraude, in foro conscientiæ non obligat, vt cum Nauarro n. 283. docet Valentia pu. 4. nec dissentit Lessius c. 23. du. 17. eo quod talis prohibitio solum fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, vt in simili de censibus dictū dub. præc.

152 Deinde alter titulus, & quidē comunissimus, qui in omni specie cambiū ex se non illicita reperitur, est onus campfori impositū: quale in proposito est primo obligatio, vel certe labor, periculum, & onus acquirendi, custodiendi, & expendendi variæ monetæ genera, non sine iactura temporis. Quæ quidem de causā, non solum in cambio, quod ratione officij dicitur, & ex officio exercetur, sed etiam in alio quouis, ex supradictis, quamuis ex obligatione & officio non exercetur, licite competens lucrū accipitur, iuxta cōmunionem sententiā apud citatos, quicquid in contrariū dixerit Sotus l. 6. de Iust. q. 10. a. 2.

Ratio est; quia supposita semel cōmuni estimatione lucri iusti, vnicuique cambio respondentis, potest illud indifferenter à quolibet accipi: Sicut etiā in mercibus patet; quarū pretiū taxatur quidem ex oneribus venditorū, sed eā taxa semel supposita, licite id à quolibet emptore accipitur, etiam si in ea merce exponenda nullum onus subierit, vt suo loco dictum dub. 2.

153 Tertio accedunt etiā specialia onera, eaq; diuersa, pro vniuscuiusq; cambiū diuersitate, quale est in secunda specie cambiū, onus realiter transferendi pecuniā, accedente simul mutatione valoris monetæ: in tertia, & quarta specie cambiū, onus virtualiter transferendi monetā idq; eo maius, quo maior est loci distantia, siue cābiatur ad locū intra prouinciā, siue extra prouinciā, vt contra Sotū recte notarunt Valentia loc. cit. & Toletus c. 54. Præterquā quod plus valet pecunia p̄sens, quam absens, cæteris paribus, quicquid dixerit Sotus ibidem.

In quinta specie, est onus custodiendi depositā pecuniā: in qua tamē specie peccat campfor, si destinatos ad se creditores campsuarij fallaciter eludat, & vel absq; solutione dimittat, vel certe propter solutionē, nouū aliquod ab eis lucellū expiscetur, vt cū Nauarro notauit Valentia q. 23. pu. 3. & Toletus c. 54. quamuis contrarium arbitretur Sot<sup>9</sup>, p̄pter receptā cōsuetudinē, quā nō omnino improbare videtur Lessi<sup>9</sup> c. 23. du. 8. sic tamē, vt debitor ac depositor ipse damnū luat, nō Creditor.

154 Quarto in ipsa quoq; pecuniæ abdicatione, nouum quandoq; onus subit campfor, si videlicet pecuniam det, quæ vndeunq; tandem maiorem estimationem habet, quam pecunia campsuarij. Quamuis enim pecunia, vt pretiū est, in utabilem

valorem

valorem habeat, tamen vt merx etiam quædam est, potest vna sæpe plurius æstimari, quam alia, quamuis altoquin secundum rationem pretij æqualis valoris; vt quia integrioris figure, grauioris ponderis, minus rasa & detrita est, vel etiam quia rarior est, antiqua, pulchra; aut alioqui iustas ob causas ita grata campfori, vt eam nollet mutare, nisi ob importunitatem campforij.

155 Imo etiam valde probabile est, ob ipsam quoque per se monetæ præstantiam, si videlicet aurea detur pro argentea, auctarium aliquod à campfore accipi posse; si nimirum eam vendat vt mercem, considerando varias eiusdem rei utilitates, verbi gratia, ad inaurandum, vel ad medicamenta, aut faciliorem transportationem &c. quas argentea moneta non habet; esto campfor monetam auream ad istos vsus non adhibuisset, vt pluribus docent Sotus quæst. 9. arr. vnico. Syluester v. *Vsura* 4. quæst. 3. Caietanus opusculo de Cambijs cap. 6. Nauarrus num. 258. Couarruias de collatione veterum. Carbo quæst. 59. de Restitut. Sa V. *Cambium*, Toletus lib. 5. cap 51. & Lessius cap. 23. dub. 2. quamuis non improbabiler negent Medina quæst. 2. de Cambijs, & Valentia quæstione 23. punct. 2.

156 Quæritur quintò, qua ratione censendum, vel taxandum sit iustum cambij lucrum.

Respondetur, lucrum iustum esse, quod vel lege, vel recepta consuetudine, à bonis non improbata, vel prudentum iudicio taxatum est. Considerandi autem sunt in ea re, suprascripti tituli, præsertim autem in tertia, quarta, & quinta specie, distantia locorum; itemque copia vel inopia pecuniarum; paucitas vel multitudo campforum & campforiorum. Hinc enim fit, vt longe plus petatur pro cambio, ex Germania in Hispaniam, quam ex Hispania in Germaniam; eo quod hic minor sit copia campforum & pecuniarum, quam in Hispania.

Labor vero campforum non ex defatigatione corporis, sicut aliorum mercenariorum, sed ex dignitate quoque & gradu, quem in Republica, campfores habent, æstimandus est, vt recte notauit Valentia cit. quæst. 23. punct. 5.

#### DVBIVM VI.

### De Locatione, Conductione, Emphyteusi, & Feudo.

Ads. Thom. 2.2. q. 77.

157 Quæritur primo: Quid sit locatio & conductio; quæ ratione speciales quædam difficultates circa eam occurrentes sint explicandæ: nimirum 1. Si conductor impediatur ab vsu rei, absque sua culpa, teneaturne soluere pensionem. 2. An locator rei fructi feræ teneatur remittere de pensione condita, si sterilitas sine culpa conductoris obuenerit. 3. Vtrum is, qui eadem opera pluribus seruit, possit ab iisdem plura stipendia integra accipere. 4. An, & qua ratione operarij & famuli possint vt compensatione, ob paruitatem stipendij. 5. Quibus ex causis liceat conductorem expellere.

Respondetur sequentibus pronunciatis. I. Lo-

catio & conductio est vnus & idem contractus, quo persona, vel res aliqua alteri ad vsum pro pretio conceditur, & ab eodem accipitur: ex parte enim concedentis, est locatio; ex parte accipientis, est conductio. Quem contractum, si debita seruetur æqualitas, per se licitum esse constat.

158 II. Si impedimentum superueniat ex parte rei conductæ, quod vsum eius impediatur, sine culpa conductoris, pro eo tempore, non tenetur ad pensionem: secus si impedimentum se teneat ex parte conductoris, vel ab illo originem trahat. Ita Syluester v. *Locatio*. Nauarrus Manuali cap. 17. num. 187. & 197. Couarruias lib. 4. Variar. cap. 13. num. 8. & quæstionum practicarum quæst. 30. num. 3. Lessius cap. 24. dub. 2. Et colligitur ex lege *Habitatores*, & l. *Qui operas*, & l. *Si vno*, ff. locati. Ratio sumitur ex æquitate rei. Si tamen ea res alioqui alteri locanda non fuisset, eadem æquitatis ratio dictare videtur, vt non tota merces soluatur, vt post Syluestrum V. *Locatio* quæst. 12. notauit Lessius ibidem.

159 III. Si ob sterilitatem, aut calamitatem, citra culpam conductoris, anno aliquo nihil ex re conducta percipiatur, tota pensio remittenda est: alias si sterilitas sit magna, secundum proportionem illati damni, pro rata: nisi aliter sit conuentum, aut nisi præcedentium vel subsequenentium annorum fertilitas compenset præsentem sterilitatem. Ita communis Doctorum iuxta l. *Ex conducto*, & l. *Si merces* ff. locati, & cap. *Propter sterilitatem*, de locato & conducto.

Et intelligitur hoc pronuntiatum, vbi certa & stabilis pensio conductori imposita est; secus quando pensio consistit in parte aliquota fructuum, puta dimidia, vel tertia, vt ex communi docet Nauarrus cap. 17. num. 290. iuxta l. *Si merces* ff. locati.

Idemque extendit Lessius cap. 24. dub. 3. si fruges in horreo conditæ, fulmine, vel hostis superuentu periant; quod videtur pius; sed nescio an vsu receptum.

160 Censetur autem ex veriori & communiori sententia, sterilitas magna, quando detracto semine, & expensarum æstimatione, non superest, quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni; etsi ea res alioqui à varijs variè explicetur, vt videre est apud Syluestrum V. *Emphyt.* q. 1.

Quod si anni sequentes compensent præteritam sterilitatem, tunc si quid remissum est annis præcedentibus, potest inde repeti: sicut etiam augeri potest pensio, si aliquo anno extraordinaria sit vberitas, proueniens ex casu fortuito, non ex sola coloni indultia, vt post Gomezium & Syluestrum, ex communi docet Lessius ibidem, iuxta l. *Ex conducto* & l. *Si merces*, ff. locati & cit. cap. *Propter sterilitatem*.

161 IV. Putat quidem Lessius lib. 2. cap. 24. dub. 5. quando quis pluribus obligat operam suam singulis in solidum, & illa æque commoda est singulis, ac si pro illis solis fuisset exhibita, posse à singulis tantum exigere, quantum ab vno posset, si pro eo solo præstitisset; ac proinde commissarium causarum, cui pro vnica causæ expeditione, dum foras proficiscitur, permissum est in singulos dies accipere duos aureos ab eo, cuius negotia gerit; posse accipere quatuor aureos, si agat negotia duorum; sex si trium.

Idemque significat esse, si quis alicui locet equum reductitium; posse enim tantundem accipere pro ea reductioe, quantum pro alio quouis equo ex instituto ad illud iter conducto. Idemque pari ratione dicendum foret, de proprio ac speciali nuntio; qui iam ab aliquo conductus integro stipendio, ad certum iter peragendum, posset nihilominus, noua conductione interveniente, etiam ab alio nouum, & integrum stipendium accipere.

162 Verum hæc mihi non probantur; quia vt dictum quæstione 6. dub. 10. res vel opera iam vni ex iustitia debita, non potest denuo alteri nouo pretio vëdi; quia sua nõ est, sed alterius. Et ipsa comūnis persuasio vulgi talem nuntium, qui dissimulanter ad duobus integra stipendia acciperet, pœna dignū iudicaret.

Multo minus potest pro equo reductitio tantum accipi; quantum pro equo nouiter conducto; non solum quia talis equus dimidio minus spacij conficiendū habet, quam equus nouiter conductus; cui scilicet eundem & redeundum est; sed etiā quia locator in prima conductione equi, sufficiens stipendium etiam pro reductioe accepit; quam proinde non potest ad æquato pretio alteri vendere; etsi possit aliquid accipere; eo quod alioqui posset equum sine onere reducere.

163 Aliud est; si quis propriij negotij causa velit aut etiam debeat (citra iustitiæ obligationem) Romam proficisci; talis enim potest tantum pacisci ab alio, qui eum suo nomine cupit ire, quantum si propria causa iturus fuisset, vt omnes cōcedunt: quia nempe talis labor nulli ex iustitia debitus & addictus est, sed subest libero dominio ac dispositioni operantis, vt loc. cit. dictum.

164 V. Nunquam potest famulus, vel operarius, seu alius cuius officialis vt tacita compensatione, nisi constet eidem, stipendium seu pensionem condiditā, esse infra infimum iustæ mercedis gradum. Quod ipsum tamen non licebit, si conductor opera famuli non indigens, solum ex misericordia, ob ipsius preces, illum conduxit: tunc enim satis erit, ei dare alimenta; nisi manifeste multo maiorem utilitatē domino præstaret: sicut etiam vbi de certo stipendio nihil alioqui conuentum, & res tota relicta est in arbitrio domini, nihilominus tenetur dominus saltem ad infimum mercedis.

Prima pars constat ex dictis quæst. 6. dub. 14. n. 406 vbi de clandestina compensatione egimus; ea enim locum non habet, vbi debitum nõ est certum ac liquidum; cum in dubio melior sit conditio possidentis. Reliqua ex naturali equitate recte docet. Lessius cap. 24. dub. 4.

165 VI. Causæ expellendi conductorem exponuntur. l. *Æde*, Codice de locato. his verbis. *Æde quam te conductam habere dicis, si pensionem in solidum soluisti, inuitum te expelli non oportet: nisi proprijs visibus dominus eam necessariam esse probauerit, aut corrigere (seu rescicere) domū maluerit, aut tu male in re locata versatus es.*

Et in eundem sensum Gregorius IX. cap. Propter sterilitatem, de locato & conducto, quasi magis explicans ius civile statuit his verbis: *Verum inuito inquieto domum inhabitare, vel rescicere poteris, si necessitas (qua tamen non imminet locationis tempore) id expositat; remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiā inde rationabiliter amouetur, si peruersè ibi fuerit con-*

*uersatus; vel cum canonem per biennium non soluisset, sibi satisfactione celeri non prouidit.*

Vnde existimat Lessius, etiam in locatione civili expectandum esse biennij tempus, vt etiam innuatur l. *Quaro*, ff. locati. Sed glossa in citatum cap. & Nauarrus cap. 17. n. 193. putant, in breui locatione trium vel quatuor annorum, illud biennij tempus non esse necessarium; sed sufficere, si conductor tempore constituto pensionem non soluerit; vt etiam Iuristæ communiter sentiunt.

166 Quæritur secundò. Quid sit emphyteusis; quæue condiciones requirat. Respondeo sequentibus pronuntians. I. Emphyteusis (iuxta Græcum etymon, quasi *implantatio* seu *insitio*) in proposito est concessio rei immobilis, cum translatione dominij vitilis, retento directo, pro certa pecunie summa, quæ *laudemiam* dicitur; ac onere certæ pensionis proprietario soluendæ; idque vel in perpetuum; vel ad vitam vnus, vel plurium (quo casu *vitalium* dicitur) vel ad certos annos; non tamen pauciores decennio. Qui vendit dominus directus; qui emit, seu accipit, *Emphyteuta* dicitur.

Differt à locatione: 1. quia solum in re immobili, quæ cultura melior effici potest, constituitur. 2. quia per eam transfertur dominium vitile; quod propriè dicta locatio nõ potest fieri ad decennium, vel supra; quia tunc communi iure transfertur dominium vitile in conductorē; ac proinde desinit esse propria locatio, & fit emphyteusis, vt colligitur ex l. 1. ff. de superficiebus, & ex communi docet Co-uarruias lib. 2. Variar. cap. 16.

167 II. Ad iustitiam eius contractus, communi & Casareo iure, iuxta l. 1. 2. & 3. Cod. de iure Emphyteutico, sequentes condiciones requiruntur; nisi subinde aliter sit conuentum. I. Vt constitutur in rebus immobilibus & fructiferis.

II. Vt dominium vitile sit penes Emphyteutam; qui proinde tenetur ad omnia onera & tributa, quæ alioqui ratione eius dominij solui solent; etiam si bona alioqui sint Ecclesiæ: dominium verò directū & possessio civilis rei maneat apud priorem dominum: contra quem proinde non potest ab Emphyteuta præscribi, iuxta l. *Male*, Cod. de præscriptione trig. an.

III. Vt Emphyteuta teneatur ad certam pensionem quotannis soluendam; quæ quidem tamen si absolute posset ad æquata esse ipsis fructibus, detractis expensis, & simul habita ratione laudemij, communitè tamen solet esse minor.

168 IV. Vt si Emphyteuta intra certum tempus (nèpe intra triennium, si Emphyteusis sit secularis, vel intra biennium, seclusa celeri satisfactione; si sit Ecclesiastica, iuxta cap. *Potuit*, de locato & conducto) pensionem constitutam non soluerit, ab ea excidat, etiam citra sententiam Iudicis; ita vt teneatur cedere, si modo dominus directus declaret, se velle pœnam illam commissi executioni mandare.

V. Vt si res sine culpa Emphyteutæ omnino pereat, vel in hostium manus redacta sit, Emphyteuta liberetur à pensionis solutione, iuxta l. 1. Cod. de iure Emphyteutico, vt in simili de censu & locatione dictum, secluso speciali pacto assicurationis.

VI. Vt si rem notabiliter deteriorem reddat,

eidem



idem possit auferri, iuxta authent. *Quia rem*, Cod. de Sacros. Eccles.

169 VII. Vt Emphyteuta ius Emphyteuticum non vendat, nisi Domino directo prius oblatum; alias cadit in commissum, & redit ad dominum directum, iuxta communem, & l. 3. Cod. de iure Emphyteutico & cap. *Poruit*, de locato: etsi possit rem donare, legare, permutare, saltem domino ante concessionem possessionis consentiente; eodemque modo oppignorare, nisi res sit Ecclesiae, iuxta authent. *Hoc ius*, & *Qui rem*, Cod. de Sacros. Eccles.

VIII. Vt quoties res venditur, vel donatione, aut permutatione alienatur, is qui eam accipit, domino directo pro inuestitura, seu possessione, soluat laudemium, iuxta l. 3. Cod. de iure Emphyteutico.

170 Est vero laudemium certa pars pretij, seu aestimationis rei venditae, quae quidem iure communi est quinquagesima, consuetudine vero trigesima, ut ex Syluestro V. *Emphyteusis* num. 28. & Ostiensis docet Lessius cap. 24. dub. 9.

Interim in hac re omni cum pacta contrahentium huic contractui dent legem, magis quam vlli alteri, iuxta l. 1. & 3. Cod. de iure Emphyteutico, consulendae etiam sunt receptae consuetudines, ac iura municipalia, ac praesertim, an post obitum directi domini, siue eius, qui locum ipsius representat, debeat nonnunquam, perinde ut in feudo, denuo accipi inuestitura, ideoque solui nouum laudemium & quantum.

171 In praxi autem duo sunt obseruanda: primum, ut eiusmodi consuetudines, cum grauamine Emphyteute ultra consuetos terminos non extendantur. Cum enim alioquin sint praeter ius commune, & onerosae Emphyteutis, non sunt extendendae, sed potius in dubio restringendae. Alterum est, ut habeatur ratio aequitatis naturalis, ne spectata utilitate, quam Emphyteuta ex re Emphyteutica percipit, magnitudo laudemij, & pensionis, onusque laudemium, saepius persoluendi superet.

Qua in re etiam considerandum, an noua seu singulari consuetudine, in quibusdam locis, eo vique recte extendatur laudemium, vel non tantum sit pars quinquagesima, aut trigesima (quod iuris esse superior diximus) sed etiam vigesima pars rei venditae, ita ut iure quinq; pro centum exigantur; quod haecenus a nullo doctore traditum reperit.

In iure tamen municipali Bavarico p. 4. tit. 21. pag. 299. ita statutum video: *Laudemium quoties possessor mutatur, ita accipiendum est soluendum erit, ut ex centum non soluantur ultra quinque; & ubi minus haecenus consuetum, id etiam post haec obseruetur. Quod si alicubi etiam ratione decessus consuetum fuit, solnere aliquid, id ubi notorie constat, etiam deinceps accipi poterit.* Plura apud Syluestrum loco cit.

172 Quaeritur tertio, quid & quotuplex sit feudum; & quae nam conditiones ad hoc requirantur. Respondetur I. Feudum a fide, seu fidelitate dictum, etsi quoque rem ipsam feudalem significet; in praesentia tamen pro contractu accipitur; qui nihil aliud est, quam concessio rei immobilis, cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, sub onere fidelitatis & obsequij personalis exhibendi; qua ratione ab emphyteusi differt.

Is qui feudum concedit, *Dominus feudi*: qui acci-

pit, *feudatarius*, seu *Vasallus*: plures vero ab vno, eodemque domino accipientes, *pares Curiae*, vel etiam *Comasalli*, *pares curii*, *pares domus*, *pares de domo*, modo absolute *pares*, passim in textu feudum nuncupantur.

173 II. Feuda varijs modis diuiduntur; primo enim aliud est proprium, aliud improprium. *Proprium* est quod consuetas feudi leges vbiq; seruat, *Improprium* in quo substantialibus ac naturalibus feudi pacto, statuto, vel consuetudine speciali derogatum est.

Secundo aliud est *nouum*, quod quis de nouo primum acquisiuit; aliud *vetus*, quod ab aliquo ex maioribus acceptum est, siue cuius causam & titulum ab alio priori Vasallo quis habet.

174 Tertio, aliud feudum dicitur *nobile*, quod possessorem suum nobilitat; aliud *ignobile*, quod nec dignitatem annexam habet, nec etiam tribuit nobilitatem; ideoque etiam *plebeium* seu *Burgense* dicitur. *Nobile* rursus, vel est *regale*, quod regalem dignitatem annexam habet; vel *non regale*, quod eiusmodi dignitatem annexam non habet. Vbi aduertendum, Imperatorem, vel alium ab ipso potestatem nobilitandi habentem, etiam si feudum concedant, non hoc ipso statim nobilitare, sed tunc, cum simul animam ac voluntatem nobilitandi adiungunt.

Quarto aliud vocatur *ligium*, in quo iuratur fidelitas, contra omnem hominem; aliud *non ligium*, in quo prior dominus excipitur.

Quinto aliud *francum*, siue liberum a seruitijs seu oneribus exhibendis; aliud *non francum*, aliud *Ecclesiasticum*, aliud *seculare*, &c.

175 III. Ad feudum eadem fere conditiones requiruntur, quae in Emphyteusi: nisi quod Vasallus, vbi feudum est purum, non tenetur ad vllam pensionem, sed loco pensionis, ad obsequium, idque solum, quando a domino de eo interpellabitur. Quod si Vasallus obsequium constitutum non praestiterit, amittit feudum; sicut Emphyteuta non soluta pensione.

Sed nec sine domini voluntate illud alienare potest; alioquin amittitur: nec etiam donare, vel impignorare, vel alteri in feudum concedere, sine eiusdem domini voluntate. Denique a domino debet inuestiri, & mitti in possessionem; & tunc iurare domino fidelitatem.

176 Iuramentum autem fidelitatis in hanc formam fieri solet, ut est apud Syluestrum V. *Feudum*, q. 12. *Ego N. iuro ad Sancta Dei Evangelia, quod abhinc mantea, ero fidelis tibi N. sicut debes esse Vasallus domino: nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, pandam alij ad eius detrimentum, me sciente.*

Vnde Vasallus communiter obligatur 1. ne domino damnum in corpore inferat; sed ut potius illud impediatur. 2. ne contra domini propositum & conatum iustum, se interponat. 3. ne secretum eius reuelet, aut eius securitatem interuertat. 4. ne ius, honorem seu famam eius violet dicto, facto, consensu. 5. ne damnum aliquod in temporalibus inferat, vel utilitatem eius impediatur. 6. Ut fideliter illi consilium & auxilium praestet, ut habetur ex lib. 2. *Feudorum*, tit. 6. & 7. de forma fidelitatis, item causa 1. & 22. quaest. 5. cap. *De forma*.

177 Sicut autem Vasallus debet domino fidelitatem, ita & dominus Vasallo debet vicem reddere, cap. *de forma* 22. quaest. 5. & cap. *Esto subiectus* distinct. 95. Alias censetur male fidus, ut habetur.

lib. 2. Feudorum, citat. tit. 6. de forma fidelitatis, & debet priuari feudo per superiorem, si erga Vasallum perfide se gerat, vt bene docet Syluester ibidem quæst. 12.

Qui etiam quæst. 25. asserit, post Guilielmum Durandum, si Vasallus committat crimen læsæ Maiestatis contra Principem, propter quod omnia eius bona publicantur, ad Principem deuenire ius, quod in re competeat Vasallo, hoc est, vile dominium.

178 Inuestitura ad feudum requisita duplex est. Vera, & præsumpta. Vera est solennis rei celsio, seu contractus, quo id agitur, vt feudum sit. Eadem rursus est propria, vel abusiva; ad illam actualis rei ipsius traditio requiritur; adiunctis testibus paribus Curiz, sine quibus inuestitura caduca existimatur; nisi dominus plures Vasallos non habeat; aut Clericus inuestituram concedat.

Abusiva inuestitura dicitur, quando dominus, vice vel loco feudi, & traditionis, siue possessionis realis, Vasallo hastam, gladium, annulum, vexillum, sceptrum, baculum, vel aliquod aliud symbolum corporeum porrigit, eumque per hoc inuestitum dicit, vt etiam docet Syluester V. Feudum, quæst. 5.

Præsumpta inuestitura vocatur, in qua seruitia per 30. annos animo feudum possidendi sunt præstita, ex §. si quis per triginta lib. 2. feud. tit. 26.

179 Quod si hæres Vasalli intra annum & diem non petierit à domino inuestituram feudi; aut si ipse Vasallus, post mortem domini, non petierit ab hæredibus eiusdem, amittunt feudum; nisi Vasallus sit miles, qui pro termino habet annum & mensem; vel sit minor annis 14. aut eum alioquin iusta causa impediuerit, vt docet Syluester quæst. 16. & habetur in tex. Feudorum, in quibus causis feudum amittatur lib. 1. tit. 5. & lib. 2. tit. 23.

180 V. In feudum dare potest quilibet, tam masculus, quam femina, tam nobilis, quam rusticus; modo habeant legitimam suorum bonorum administrationem: recipere autem, seu inuestiri potest quilibet, tam per se, quam per procuratorem; etiam seruus, modo sciante domino faciat, vt post Baldum docet Syluester, quæst. 4.

Acquiritur verò his modis. 1. Per inuestituram, modo explicato, propriam aut impropiam. 2. Præscriptione triginta annorum, ex dictis. 3. Successione, non ex testamento, sed ab intestato; quia non valet ordinatio defuncti, facta in feudo, vt post Ostiensem docet Syluester ibidem quæst. 5. Apud quem hac de re plura; sicut & apud Iulium Clarum, & alios Iurisconsultos, qui de feudis agunt.

Neque ab Emphyteusi & feudo differt *Libellus*, vel *Libellum*, seu contractus libellaticus: nisi quod hic propriè dicitur, cum emphyteuta, seu feudatarius rem in emphyteusin seu feudum acceptam, simili contractu tradit tertio, vt sit veluti *subfeudum*, & *subemphyteusis*, vt post Negulantium tradit Lessius l. 2. cap. 24.

dub. 1. n. 6.

### DVBIVM VII.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum; speciatim vtrum bona Ecclesia possint in feudum, vel emphyteusin dari: deque speciali contractu in Bavaria usitato, quem Dominicum sanuorem appellant.

Ad s. Thom. q. 77.

181 DE hac re statuo assertiones sequentes. ASSERTIO I. Bona Ecclesiastica, seu res illæ Ecclesiæ, quæ iam ab antiquo, necnon proxime antea in feudum, aut emphyteusin datæ fuerunt, possunt denuò hoc modo dari, etiam absque ordinaria siue requisita solemnitate iuris; dummodo id cedat ad euentem Ecclesiæ vtilitatem, & fiat ante incorporationem fructuum Ecclesiæ factam. Ita communis apud Couarruiam lib. 2. Variar. cap. 17. num. 4. Clarum de Emphyteusi quæst. 6. & de feudo q. 13. Azor to. 3. l. 10. cap. 3. quæst. 2. Molinam tom. 2. d. 466. n. 4. & Lessium lib. 2. cap. 24. dub. 11. et si dubitanter loquatur Syluester V. Emphyt. in it. vbi ait: Si tamen possessio ipsa erat prius emphyteutica, & peruenit libere ad Ecclesiam, dari potest in emphyteusin etiam perpetuò, secundum aliquos.

Ratio est; tum quia id nullo iure prohibetur; tum quia id non censetur noua alienatio, quæ iure prohibetur, sed continuatio alienationis factæ. Idem colligitur ex Extrauag. *Ambitiosa*, de rebus Eccl. non alien. vbi dicitur: *præterquam in casibus iure permisis; ac de rebus & bonis in emphyteusin ab antiquo concessis solitis; & cum ecclesiarum euenti vtilitate, &c.* Vbi tamen vides, additam limitationem; quæ non est negligenda. Quæ seclusa, Episcopi est, bona Ecclesiæ vacantia ad mensam reuocare, vt bene Azor loc. cit.

182 ASSERTIO II. Si vero res Ecclesiæ antea non fuerint in feudum, seu emphyteusin traditæ; vel si post traditionem, expirante contractu, fuerint rursus, quoad fructus, Ecclesiæ incorporatæ, non possunt de nouo in feudum seu emphyteusin concedi, aut alia ratione alienari, nisi ex iusta causa, & seruatis certis conditionibus & solemnitatibus iure præscriptis. Est communis apud citatos.

Patet ex cap. *siue exceptione*, l. 2. quæst. 2. & cap. *Nulli*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & Extrauagant. *Ambitiosa*, in communibus, de rebus Ecclesiæ non alienandis, vbi Paulus II. prohibet, omnem bonorum Ecclesiasticorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, alienationem; omneque pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem & conductionem ultra triennium, in feudationem, & contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure expressis; & omnem talem contractum irritum reddit, instricta excommunicationis sententia ijs, qui contra prædictam sententiam alienare præsumperint. Similia habentur cap. 1. & 8. de ijs, quæ fiunt à Prælato, absque consensu Capituli, & in authentica, *Hoc ius portetum* Cod. de sacros. Ecclesijs.

Neque

183 Neque dubium est, alienationem hoc loco latè accipi, etiam pro Emphyteusi; vt constat ex citatis canonibus, tam ex cap. *Nulli*, de rebus Eccles. non alien. & in simili l. *Sancimus*, Cod. de rebus alien. non alien. & habet communis Doctorum sententia apud Couarruiam lib. 2. Var. cap. 16. n. 1. Molinam tom. 2. disp. 466. n. 4. & Azorium to. 2. lib. 9. cap. 1. q. 2. Ratio est; quia etiam per Emphyteusin dominiũ vtile transferitur ad Emphyteutam vt dictum dub. præced. Vnde Baldus l. vlt. Cod. de reb. al. non alien. ait: *Prohibita alienatione, simpliciter videtur prohibitus omnis actus, per quem alteri quaritur ius aliquod in re.*

184 ASSERTIO III. Iusta causa alienandi est quadruplex. 1. Necessitas, cui aliter occurri nequit. 2. Euidens utilitas. 3. Pietas, v. g. ad captiuos redimendos, aut subueniendum graui proximorum necessitati, iuxta Can. Aurum 12. q. 11. Item 4. Incommoditas; vt si res sit Ecclesie sumptuosa, & parum utilis. Ita ex communi, post Panormitanum, Syluester V. Alienatio, num. 2. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 1. Lessius citat. dub. 11. num. 63. Ratio est; quia omnes eiusmodi alienationes aut necessitas exigat, siue Ecclesie, siue proximorũ, aut ipsius Ecclesie utilitas; quibus positivæ leges non præiudicant. Idem colligitur ex varijs canonibus. Vid. cap. *Hoc ius* 10. q. 2. cap. *Sine exceptione* & cap. *Terrulas* 12. quæst. 11.

185 ASSERTIO IV. Forma alienandi iure præscripta, plures alias condiciones requirit. I. Vt fiat super ea retractatus, seu vt in capitulo discutatur expensis vtrinq; rationibus, an conueniat alienari, iuxta citatos Canones.

II. Vt Capitulum saltem quoad maiorem partem, expresse consentiat, vt ex communi docet Panormitanus in cap. 1. de ijs, quæ sunt à Prælatis.

III. Vt Capitulum subscribat, saltem in venditione, donatione, & permutatione; nisi vbi consuetudine receptum, vt sufficiat subscriptio Notarij, vt post Azorium notauit Lessius num. 63.

IV. Vt intercedat auctoritas superioris; qui quidem in non exemptis, est Episcopus; in exemptis Prælatus, cui Ecclesia vel Monasterium immediate pleno iure subest, vt est Abbas, aut Generalis, aut Prouincialis in Ordinibus Mendicantium. Quorum nonnullis id etiam priuilegij conceditur, vt non requiratur tractatio capitularis, sed sufficiat tractatus superioris cum Consultoribus, vt de Societate nostra notauit Molina disp. 468.

Quod si Prælatus longe absit, & res moram non ferat, videtur sufficere consensus præsumptus; vt si periculum sit, ne ab hæreticis confiscetur, vt cum Panormitano in cap. finale, de rebus Ecclesie non alienandis docent Syluester V. *alienatio*, num. 16. Fumus num. 18. Azor cit. tom. 2. cap. 1. Lessius dub. 11. num. 63. Molina d. 468.

186 Præter hæc vero in cit. Extrauag. Pauli II. *Ambitiose*, requiri videtur ad eiusmodi alienationem etiam consensus Pontificis; dicitur enim: *Alienanti vero bonum Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumq; priorum quorumlibet, in consulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontifici vel Abbati præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesie sit penitus interdictus, &c.* In quem sensum, vt post Nauarrum

de alien. rer. Eccl. n. 12. testantur Molina, Azor, & Lessius, etiam Episcopi & Abbates, qui vigore literarum Apostolicarum consecrantur, iurare solent, se non alienaturos bona Ecclesie, seu Monasterij sui, in consulto Romano Pontifice, vt habetur etiam cap. vlt. de Eccles. ædific.

187 Verum cum in eadem Extrauagante, verbis antecedentibus solum prohiberi videatur alienatio, extra casus à iure permisos, dubium videri potest, an ad alienationem etiam in forma & casibus, seu ex causis iure alioqui permisis, requiratur, vt eiusdem Extrauagantis, auctoritas Summi Pontificis; quandoquidem citata superius verba, per modum clausulæ pœnalis, sequuntur præcepti formulam; clausulæ vero pœnales non debent excedere ipsius mandati seu prohibitionis terminos. In verbis autem superioribus canonis; quibus continetur prohibitio & mandatum, nulla facta est mentio consensus Summi Pontificis.

188 Videri igitur forte alicui posset, sensum posterioris illius clausulæ solum esse, vt vel necessaria sit auctoritas Summi Pontificis; vel certe seruanda sit ratio contrahendi & alienandi in eo canone superioris præscripta: qui sensus commode redditur, si verba illa per metathesin explicentur, vt consideranti patebit. Idemq; sensus, videtur confirmari ex simili constitutione Cardinalium n. 193. referenda. Certe eiusmodi iuramentum non extendi ad alienationem alioqui permissam, sentiunt nonnulli apud Azorium tom. 2. l. 9. c. 1. q. 9. eiusq; transgressione non inualidã reddi alienationem tradit Mol. d. 468. n. 8.

Neq; etiam ea constitutio, quoad rigorem pœnarum, aut omnes cæteras clausulas, videtur vltu recepta, vt cum Nauarro man. cap. 27. n. 129. docet Lessius cit. dub. 11. n. 64. & post Caietanum V. *Excommunicatio* cap. 75. Syluestrum eod. 7. n. 83. Curtium cap. vlt. de consuet. Armillam *Excom.* 62. notarat antea Azor tom. 2. lib. 9. c. 2. q. 9.

Sicut etiam in rebus parui momenti, vel vbi præsens necessitas morã non patitur, non videtur opus eiusmodi consultatione. Et probabile est, posse Prælatum nihilominus valde repudiare legatum, vel hæreditatem Ecclesie delatam, quia hæc non est alienatio rei Ecclesie, sed solum recusatio nouæ acquisitionis, vt docet Lessius num. 65.

189 ASSERTIO V. Seruata prædicta forma, ac supposita iusta causa, possunt res Ecclesie non solũ vendi, permutari & donari, sed etiã in Emphyteusin & feudũ dari, & oppignorari. Colligitur ex citat. iurib.

Imo Syluester V. *Alienatio* n. 12. & 13. Nauarrus commentario de alienatione rerum Ecclesie, n. 17. post Panormitanum, & Antonium de Butrio, sentiunt, eum etiam, qd aliquid per supradictos contractus, non seruata formã præscripta habet, non teneri in conscientia, ad restitutionem, aut rescindere contractũ; modo consensus eorum, qd necessario debebant consentire, in contractu adfuerit: quia in foro conscientie sufficiat, contractum tenere secundum limites iuris naturalis vel gentium. Sed hoc difficultatem habet, propter expressã Pontificum verba; spectata simul materia ipsi dispositioni administratorum non ita plenè subiecta.

Hoc fateor; si alicubi longa consuetudine forma supradicta seruata non fuerit, alienationem non

esse censendam inualidam; modo consensus eorum, qui ex natura rei debent consentire adfuerit, ut docet etiam Lessius ibidem num. 66. ubi rationem adiungit; quia cum forma illa sit iure positivo humano introducta, potest contraria consuetudine aboleri, etsi quidam Canonistæ contrarium sentire videantur.

190 **ASSERTIO VI.** Res Ecclesiarum non possunt etiam elocari ad vitam; nec ad longum tempus, nempe decem aut plurimum annorum; imo neque ultra triennium: alias locatio est irrita. Ita communis, & habetur ex dicta Extrauagante Pauli II. ante quam tamen res Ecclesiæ elocari poterant ad nouem annos, prætermissa iuris solemnitate. Idem habetur Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & cap. Nulli, eodem titulo.

Eodem spectat decretum Concilij Trid. sessione 25. cap. 11. de Reformatione, ubi dicitur: *Locationes vero rerum Ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, seu ut in nonnullis partibus, ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos vocant, factas, Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.*

191 Vbi tamen aduertit Lessius num. 69. sicut pœnæ illius Extrauagantis nõ sunt receptæ, teste Nauarro cap. 27. num. 150. ita etiam multis locis eam dispositionem non esse receptam, ut etiam notant Couarruias num. 6. & Syluester V. *Alienatio* quæst. 13. Itaque ibi poterit fieri elocatio ad nouem annos, absque forma iuris supradicta; seclusa interim omni fraude, & successoris præiudicio, ut statuit Concilium Trid. loco cit.

192 Addit Lessius num. 70. ex Panormitano in cap. *Continebatur*, de his quæ fiunt à Prælati, non etiam videri prohibitum, quin fructus beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum possint elocari & vendi in plures annos (modo ipsi fundi non elocentur;) quia hi non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum; & locatio expirat morte locantis, ac beneficij amissione; quod etiã sentire videtur Molina disp. 466. n. 5.

Quod si locatio legitime facta fuit à decessore, tenetur Prælati successor contractu stare; non secus ac successor tutoris contractibus à prædecessore legitime factis: secus si non fuerit legitime facta. Si tamen successor deprehendat Ecclesiam enormiter læsam, poterit uti beneficio restitutionis, de quo dub. 1. ut post Couarruiam lib. 2. Variar. cap. 15. recte Lessius num. 71.

193 Atque hæc omnia confirmantur per Decretum sacre Congregationis Concilij Trid. S. D. N. Urbani VIII. iusto editum die 7. Septemb. Anno M. DC. XXIV. Vbi ita statuitur: *Speciali S. D. N. iussu, Generalibus & Prouincialibus, Capitulis, vel Cõgregationibus, Abbatibus, Generalibus & quibuscunq; alijs Superioribus, Generalibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac preciosorum mobilium, alienationem, omneq; pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, concessionem in feudum vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuo prohibet atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis,*

*& gratis concedenda; sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebant, vocisq; actiua & passiva, ac perpetua inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; quam ipso facto, absq; alia declaratione, incurrant; sublata etiam Generali & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; & in his nihilominus Apostolicarum Constitutionum, & præsertim salicis recordationis Pauli II. quæ incipit, Ambitiose, in suo robore permanfurus. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunq; contra huiusmodi prohibitiones faciendas, sanæ etatis sue auctoritate, ipso iure nullas atq; irritas decernit. Non obstantibus quibuscunq; contrarijs.*

194 Vbi cum dubium incidisset, an clausula illa, *Præterquam in casibus à iure permissis*, solum afficiat & limitet verba immediate præcedentia, concessionem in feudum, vel emphyteusim, an etiam superiora omnia, quæ alioquin eo decreto prohibentur; vitorum, Doctorum & Sapientum iudicio probabiliter existimatum fuit, afficere & limitare omnia, quæ antecesserunt, eodem decreto alioquin prohibita; tum ob paritatem rationis; cum non seuerius in iure prohiberetur, neq; magis etiam Ecclesiæ noxia sit locatio & conductio bonorum Ecclesiæ; ultra triennium, quam concessio in feudum & emphyteusim: tum quia id ipse verborum contextus & connexio postulare videtur.

195 Ex quibus colligo, sacris canonibus nõ aduersari eum modum disponendi & contrahendi, de Ecclesiæ bonis, qui in iure municipali Bavarico recens edito & recognito part. 4. cit. 21. initio art. 7. delocatione bonorum Ecclesiasticorum præscribitur. Ita enim habet articulus: *Si posthac etiam Collegiorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Hospitalium, aliorumq; similium locorum, ut & Parochiarum & beneficiorum, prædica ac bona redierint, & vacauerint, ea absq; solemnitate iuris, in alienatione bonorum Ecclesiasticorum aliqui requisita, non aliter, quam in hunc modum elocentur & concedantur, ut maioribus iuribus seu oneribus præterquam si ad vitam concedi placebit non grauentur, quam præcedentes coloni & possessores antea habuerant, & prius concedi consueuerant. Vbi vero concessio veteri more peracta est, tunc ad eam succedentes Prælati, Administratores, Parochi, & Beneficiarij seruandam non secus obligantur, quam si ipsmet ita elocassent, vel concessissent.*

Huius, inquam, articuli prior illa pars quæ decernitur in eiusmodi dispositione, non esse opus solemnitate iuris, nõ videtur aduersari sacris canonibus. Est enim ibidem sermo de bonis iam antea veteri consuetudine ita elocari vel concedi solitis; quod sacris canonibus non aduersatur, ut assert. 1. ex communi Doctorum sententia dictum est: modo id alioqui cedat in evidentem Ecclesiæ utilitatem; nec prohibetur, ne bona eiusmodi vnquam ad Ecclesiam, etiã quoad dominium vtile, redire possint; id enim apertè aduersaretur Ecclesiæ libertati, vt lib. 1. defens. Eccles. cap. 5. fusiùs ostendi.

196 Denique ex his etiam, quæ in hac, & præcedenti dubitatione, de locatione & Emphyteusi diximus, colligi potest resolutio eius controuersæ, quæ ante aliquot annos in varijs Academijis vtilitatis & difficultatis fuit, alijs aliter sentientibus: nimirum an illi contractus in Bauria admodum frequentes, quos vocant *des angelairen Trenstiffers* / oder *Hammongst*,

quasi

quasi dicas libera sed pensatione grauata locationis, seu Domini fauoris, habendi sint solum pro meris ac liberis locationibus, seu potius pro precarijs, an instar emphyteusium, in quibus dominium vtile ad possessorem sit translatum: adeo vt Colonus & possessor, pro arbitratu directi domini, ab eiusmodi bonis remoueri non possit. Et quidem ante annos decem circiter, multi viri docti ac prudentes censuerunt, conferre ius in perpetuum, quod ad hæredes transeat, quamuis proprie nõ sint contractus Emphyteutici.

Ego vero eiusmodi contractum semper existimaui, esse habendum pro meo precario; quod etiã ab alijs iudicatum fuisse postea intellexi: non ita quidem, vt sit precarium & concessio plane libera, sed speciali modo onerosa, indefinita ex parte temporis, definita vero ex parte oneris, in hunc modum; vt possessor prædium coloni iure occupet, tamdiu, donec eadem summa pecuniæ, quæ in eo iure comparando, cum consensu Domini erogata à possessore fuerat, eidem re ipsa à Domino restituitur; adeoque vt sit concessio in singulos annos à Domino reuocabilis, sub hac conditione, si ipse Dominus restituat expensam pecuniam cum sufficiente compensatione extraordinariæ meliorationis factæ.

In hanc sententiam inductus sum hoc discursu. Quia contractus dubius eo modo explicandus est, qui sit consentaneus tum iuri communi & prouinciali; tum alijs circumstantijs ipsi contractui adiunctis: sed ad hunc modum non rectè explicatur, si dicatur esse ius quoddam in re perpetuum; sed bene, si dicatur talis onerosa concessio, vt dictum: Ergo, &c. Maior patet.

Minoris prior pars probatur. I. Quia non solum multorum sententia est, iuxta l. 1. Cod. de iure Emphyt. contractum emphyteusis non valere, nisi interueniente scripto; sed etiam iura antiqua Prouincialia Bavaricæ habent, vt Colono nullum ius perpetuum in prædium adiudicetur, nisi possit hoc probare scriptis. Ergo dicere, hoc contractum fuisse à rustico acquisitum ius in re perpetuum, quantumuis, vt supponitur, nullum scriptum interuenerit, est explicare hunc contractum non satis consentaneæ ad ius commune & prouinciale.

II. Contrariæ sententiæ auctores coguntur fateri, & per se liquet, posito quod ius perpetuum in re eo contractu à Colono acquisitum asseratur, eum contractum nullum esse, ex nominatis hæcenus speciebus, & circa eiusmodi bona cõcedenda vilitatis; quia nec est precarium siue locatio, vt ipsi aiunt; nec potest esse emphyteusis, aut feudum; quia nullum interuenit pactum de pensione annua aut laudemio persolueno; neque in his necesse est, singulis annis de nouo renouare concessionem. Ergo explicatur eo modo contra ius commune. Contra vero, quia ad cõcessionem illam supradicto modo in singulos reuocabilem, nec iura Bavarica, nec communia, scriptum requirunt, optime ad explicatum modum contractus iste subsistit; estque iuris omnibus cõueniens.

Posterior pars minoris ita probatur. Nam si circumstantias facti consideremus, apparabit, eam sententiam de iure perpetuo in re, minus esse probabile. I. Quia nomen ipsum *Greystift* liberam locationem, siue concessionem sonat; ac proinde conuincit, non esse aliquod ius in re perpetuum. Idem significatur

per nomen *Herrengrunst*; quasi dicas *fauorem domini*; seu quippiam ex eius fauore dependens, adeoque precarium.

II. Coloni singulis annis debuerunt de nouo eiusmodi prædictam possessionem accipere; expresse præfitendo; *Ich hab ich wider auff ein Jar gestift*; hoc est: *tam rursus ad annum*, possessionem accipi: quod iuri in re perpetuo minime conuenit.

III. Sepe dominus, in prima concessione, pretium venditionis nullum ipse recepit; cum tamè constaret, ipsum solum fuisse, eiusmodi fundi vtile dominium vendere.

IV. Satis constat, summam capitalem non fuisse semper proportionatam ipsi iuri perpetuo prædij.

V. Contractus iste eiusdem videtur rationis fuisse, in protestantibus de nullo præiudicio, & non protestantibus; non solum quia tacite omnes ita protestari voluisse censendum est; sed etiã quia protestatio non tollit aut mutat veritatem rei; ac proinde si accedente ea protestatione, nullum ius in re à colonis fuit acquisitum, signum est, eum contractum sua natura nullum ius in re contulisse: at vero in protestantibus fatetur opposita sententia, nullam interuenisse alienationem vtilis dominij: Ergo nec etiam in non protestantibus.

VI. Iste contractus sæpe etiam à Clericis de Ecclesiasticis bonis celebratus fuit; qui tamè secundum sacros canones, vt dictum superius n. 182. nec potuerunt quidè valide eiusmodi ius perpetuum in re, quasi emphyteuticum, alijs transcribere, sine certis sollemnitatibus à iure præscriptis; quæ tamè in nostro casu non interuenerunt: Ergo in dubio, nõ est censendum, eos id præsumere contra sacros canones voluisse. Nec diuersa est eius contractus ratio à laicis initi. Ergo vniuersim nõ est censendum per eum conferri perpetuum ius aliquod in re.

Nec obstat, quod videatur in hoc contractu à domino directo acceptum laudemium: siquidem tum ex verbis soluentium, tum ex alijs circumstantijs constat, id reuera non fuisse habitum, vel acceptatum, per modum veri ac proprii laudemij, sed per modum honorarij, etner *Herrengrunst*.

Atque in hunc sensum video, demum etiã in Iure Bavarico renouato part. 4. tit. 2. l. a. 5. fuisse decretum & constitutum, his fere verbis: *si quis colonus tale ius (etnen Herrengrunst, oder veranlaute Greystift) probauerit; is poterit quidem singulis annis legitimo tempore (zu rechter Stillsicht) à domino directo amoueri: ut tamen dominus ipse aut concedere debeat facultatem colono, ius suum alicui alteri idoneo colono vendendi; aut si hoc concedere non vult, eidem colono, priusquam à bonis discedat, solvere debeat tantum, quantum colonus in comparando sibi eodem bono, (demptis mobilibus) exposuit, computata simul etiam ea parte hereditarij iuris, quod ad bonum illud colonus habebat. Sed præterea teneatur dominus eidem restituere acceptum laudemium, & si quid colonus notabilis meliorationis bono adiecit. Contra vero si quid in eo bono fuerit deterioratum, dominus directus ius habeat, ad hoc ipsum in faciendâ restitutione detrahendum, &c.* His consentiunt ea, quæ ibidem inferius art. 13. statuuntur. Quæ omnia sapientissime, & summo iure constituta sunt.

## D V B I V M VIII.

*De contractu Societatis. Quid sit, & qua ratione iuste celebretur. de quo contractu quodam innotato, quo absque certo titulo, quinque procentum annuatim accipiuntur.*

Ad s. Thom. 2. 2. q. 77.

200 **Q**uarietur primo. Quid sit contractus Societatis, & qua ratione iuste celebretur. Respondet sequentibus pronuntiatis. I. Contractus Societatis est, quo plures socij ita ad lucrandum, per negotiationem, vel officium aliquod conveniunt, ut singuli aliquid ad lucrandum utile conferant, ut est pecunia, industria, labor: siue singuli omnia, siue vnus quidem pecuniam, alius vero operam, vel vtrumque conferat, singularum fortium pecuniarum dominio manente penes eos, qui eas posuerunt, ut communis Doctorum sententia explicat.

201 II. Contractus hic ex omnium sententia iustus ac licitus est, tribus conditionibus concurrentibus, ut ex communi recte docent Valentia q. 24. pun. 1. & Toletus l. 5. c. 41. I. Ut negotiatio sit iusta & licita. II. Ut lucrum iuste diuidatur, aut æqualiter nimirum inter singulos, si singuli sortes equalis valoris ad lucrandum contulerint, aut seruata proportione, ut eo quisque maius lucrum accipiat, quo fors ipsius est maioris valoris ad lucrandum.

202 Et quia opera & industria, utpote immediatus & efficacius concurrens, plus valet ad lucrandum, quam pecunia (quamuis & hæc quoque valeat, ut negotiationi exposita est, etiam secluso periculo, ut contra Sotum lib. 6. de Iustitia q. 5. a. 1. recte notauit Valentia loco cit.) ideo maior est operæ, quæ pecuniæ habenda ratio; etiam si forte opera secundum se minus valeat, quam pecunia secundum se, nisi valde præponderet excessus pecuniæ; quo fit, ut qui operam conferunt, sæpe magis lucrari possint, quam qui conferunt pecuniam, licet per se longe maioris pretij, ut notauit ibidem Valentia.

203 Quo spectat, ut is qui operas confert, non solum sit particeps lucri, sed etiam fortis, secundum æstimationem operarum; ita ut negotijs peractis ex tota summa, quæ ex lucro & sorte conflata erit, tantum extrahat, quantum si loco operarum, pecuniam æquivalentem contulisset; ita quidem, ut si tu conferas mille aureos, socius autem operas centum aureis æstimatas, & lucrum sit 500. aureorum, socius extrahat vndecimam partem, non solum è lucro, sed etiam ex sorte, hoc est, ex mille & quingentis aureis, adeo ut ille habeat 136. aureos, & vnã tertiam, tu vero habeas reliquas decem partes, ut prudenter aduertit Lessius c. 25. dub. 2. n. 9. contra quosdam Doctores aliter locutos; quasi is qui operas confert, pro rata parte, solum participare debeat de summa lucri, non autem de summa lucri simul & fortis.

204 Ratio est; quia alioqui conferens operam longe deterioris esset conditionis, quàm qui pecunias contulerunt: hi enim post finitum contractum, præter par-

ticipationem lucri, suas sortes integras habent, locatori vero operæ hoc ipso, quod operæ transierunt, nihil de sorte, quam contulit, reliquum maneret. Itaque ut is, qui operas confert, non minus sit particeps tum lucri, tum fortis, quam qui ponit tantundem pecuniæ, neue ipsi soli sorte sua ac opera pereat, debet, in hoc contractu opera socij æstimari pecunia, eaq; æstimatio forti addenda est, ut fiat veluti vna fors communis, puta 1100. aureorum, ex qua socius habeat partem vndecimam, perinde ac si tantundem pecuniæ contulisset; ac proinde etiã, ut in diuisione competat ei vndecima pars fortis & lucri, seu totius summe.

205 Quod si opera ipsius tanti valebat, quanti fors alterius, debetur ei dimidium totius summe: si erat æqualis tertiæ, quartæ, quintæ, vel sextæ parti pecuniæ, debetur eitercia, quarta, quinta, vel sexta, pars totius summe, quæ reperietur finitis negotijs. Alioquin societas in qua socius operam conferens solum sit particeps lucri, non etiam fortis, potius erit *Leonina*, in qua alter sociorum solum habet, damnum, alter solum lucrum, iuxta l. *si non fuerint*, ff. pro socio; quam socialis. Eodemque modo intelligendi sunt Nauarrus cap. 17. num. 151. Coarruuias lib. 3. Variar. cap. 2. & Valentia loco cit. et si rem non ita explicarint: nisi quod ob eam ipsam causam fortassis notauit Valentia, maiorem operæ quam pecuniæ habendam rationem; etiam si illud secundum se tanti non esset, quanti pecunia: ut dictum n. 202.

206 Tertia conditio est, ut damnum etiam iuste ad socios perueniat. Et quidem secluso speciali pacto, si damnum aliquod commune est omnibus sortibus, debet ab omnibus æqualiter sentiri. Si vnus tantum fors perierit, antequam scilicet communi sorti permisceretur, illi peribit, non alijs.

Eademque ratione, si quis collata industria nihil lucratus sit, soli quidem illi sua peribit industria, alij damnum in sua sorte sentire non debent: nisi inter se conuenissent, ut quodcumque damnum sortis eueniens, æqualiter ad omnes perueniret, ut cum Nauarro docent Valentia & Toletus loc. cit. vel certe nisi eadem opera ex voluntate sociorum, ita collata, ab eisque acceptata fuisset; tunc enim ut opinor eius æstimationem etiam socij præstare debent; non secus ac si quis conducto operario ad inutilem laborem, oleum simul ac operam perdidisset.

207 Sicut etiam si plures pecuniam locarunt, & casu forte vnus fiat iactura, tunc ea quidem etiam equaliter ad omnes spectare debet, qui pecuniam locarunt, cum non magis huius, quam illius fors perire debuerit, ut inquit Valentia loco cit. Quod intellige; post collationem sortium semel factam, ac societati communicatã: secus si in negotiatione, per culpam socij, qui operam contulit, perierit: tunc enim ei, qui in culpa fuit, peribit; si modo talis sit, quæ ad restitutionem obliget, iuxta dicta q. 6. dub. 2. Similiter si pereat in via, dum à domino mittitur ad socium, suo vtiq; domino peribit, ut antea dictum.

Huc etiam spectat, quod de expensis, quas industriae collator facit, recte notant Syluester V. Societas quæst. 12. Petrus Nauarrus lib. 3. de Restitut. c. 2. num. 442. eas scilicet (exceptis solum ijs, quas aut domus suæ, aut sine societatis nomine, bonoque fecisset) communes esse debere, etiam in elemosy-

nam, societatis intuitu, factas: quamuis totum hoc onus socij in negotiatorem illum rejicere possint; modo aliunde faciant illi iustam compensationem. Atq; hæc spectat ad contractû societatis secundû se.

208 Cum hoc porro contractu, stando præcise iure naturali, & vbi humanæ constitutiones nõ obstant, varij alij contractus coniungi possunt, etiam inter eosdem socios; & quidem omnes illi, qui & secundû felicitati sunt, neq; naturâ contractus societatis evertunt. Cuiusmodi sunt, tum assecuratio certi cuiusdâ lucri, puta quinque in centum; tum assecuratio capitalis; etiam si illi contractus nõ ita distinctè & explicitate cognoscantur: dummodo intentio vsuraria ab sit; & socio, qui eiusmodi onus in se suscipit, iusta compensatio fiat; nec is, præter suam voluntatem, cogatur ad eiusmodi contractus; nec cû quouis socio inæatur pactum, de eiusmodi quinario certo lucro, saluo & securo capitali, recipiendo, vt cû Caietano opusculo 17. responsione 11. Nauarro c. 17. n. 255. Conrado q. 97. de Contractibus, Maiore in 4. dist. 15. q. 49. Gabriele q. 11. dub. 10. & Syluestro V. Societas 1. q. 2. docent Couarruias lib. 3. Variar. cap. 2. Angles in 4. quæst. de societate, Toletus lib. 5. cap. 41. & Valentia q. 24. pun. 2. ex consultatione quoque Theologorum Romanorum.

209 Quamuis assecurationem capitalis, cum eodem socio celebratam, licitam esse negent Panormitanus in cap. Per vestras, de donatione inter virum & uxorem, Accursius in l. si non fuerint, ff. pro socio, & Sotus lib. 6. de Iustitia quæst. 6. art. 2. Quod tamen non probant; manet enim nihilominus dominium capitalis apud socium, cui fit assecuratio; cum alter nõ nisi dependet ab ipsius voluntate, eo vti possit.

Hinc ergo pro ratione negotiationis, recte fieri poterit, vt socius, qui alioquin ex centum collatis aureis, vi contractus societatis, probabiliter poterat sperare lucrum octo v. g. aut decem aureorum, saluo & securo capitali, possit ex societate, adiunctis duobus illis alijs contractibus, annuatim recipere quinque; datis nimirum vno vel duobus aureis, pro assecuratione capitalis, & duobus vel tribus alijs, pro assecuratione lucri minoris, vt recte notauit Valentia loco citato.

210 Quamquam si indifferenter cum quouis, & in quavis negotiatione, talis contractus celebretur, sæpe iniustus esse possit; cum non omnis negotiatio præbeat tantum lucrum, vt saluo quinario lucro, debita fiat compensatio, pro duplici illo onere socijs imposto. Quo casu proinde, nisi socij per quãdam transactionem, sibi mutuo quasi condonent, quod alter bona quidem fide, sed iusto plus accipit, iniustus non erit talis contractus.

211 Eandemq; sententiam fuisse ac ex instituto tuetur Lessius lib. 2. cap. 25. dub. 3. vbi præterea etiam citat Franciscum Garziam de Contractibus parte 2. cap. 17. Angelum V. Societas, Lopez lib. 1. de Contractibus cap. 65. Bartholomæum Medinam in sua Instructione §. 27. Eademq; sententia inquit, nuper à doctissimis viris, absque vlla difficultate, fuit Romæ approbata, & passim in Italia est in vsu, vt ex formulis impressis mercatorum constat. Denique plurimi hoc tempore per Italiam, Hispaniam, Germaniam, Galliam, Sacræ Theologiæ Professores celeberrimi, eandem absque dubitatione tradunt; fa-

uente etiam Iure Canonico cap. Per vestras, de donatione inter virum & uxorem, & iure Ciuili l. si non fuerint, ff. pro socio.

212 Accedit, inquit, quod mercatores sic malint contrahere, quam aliter; maius enim lucrum sic percipiunt: assecurationem enim fortis sæpe non magni æstimant; quia norunt eam secure impendere; vel si exponunt eam periculis, & res male cesserit, cogitant se non fore soluendo; ac proinde depositorem fore dampni participem: quod sæpe fieri videmus. Lucrum autem incertum, quod illis offertur, libenter certo pretio redimunt; quia sperat se multo plus lucraturos: & tales venditiones & emptiones rerû, non habentium certum euentum, inter eos sunt creberrimæ: adde, quod ex tali contrahendi formula, non cogantur rationes suas & computus alijs patefacere. Itaq; tantum abest, vt ad contractum assecurationis, & certæ pensionis annuæ pro lucro sperato, adigantur mercatores inuiti, vt alia ratione plerosque nolint ad societatem admittere, aut eorum negotia curare.

213 Neq; obstat, quod æquum non videatur, vt ex vni contractus alter contrahens obligetur ad alium; nam tres isti contractus possunt iniri per modum vnius; ita vt reuera tantum sit vnus contractus; qui proinde iustus erit; modo ea, quæ comitantur, exequentur æstimatione & iudicio peritorum mercatorum: & si contractus isti possunt iniri cum diuersis, vt omnes fateantur, cur non cum eodem?

214 Ex quo infert Lessius, formulam illam, nõ esse iniquam, quæ in Italia, & Antuerpiæ varijs linguis circumfertur, his verbis; *Ego infra scriptus, confiteor hoc meo chirographo, me accepisse à Titio mille aureos, vt eos impendam legitima negotiationi; & loco incerti lucri maioris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum sex in centum quotannis, & eiusdem summa periculum præstiturum.*

215 Ita etiam potest tradi grex centum ouium pascendus, ea lege, vt pastor præstet eum saluum, supplendo si quid forte etiam perierit; & præterea quotannis soluat aliquid certi pro fructibus. Vt tamen hic contractus sit iustus, necesse est, vt spes fructuum, ex illo grege sit tanta, vt iudicio prudentis æquiualeat oneribus, quæ pastori imponuntur, nempe obligationi præstandi integrum numerum, & soluendi quotannis certam pensionem.

216 Denique addit Lessius ibidem n. 32. hunc contractum non solum per se esse licitum, sed etiam esse expediens, præsertim hoc tempore, & ad salutem animarû, & ad commodum Principis, & ad cõpendium viduarum & pupillorû, eam contrahendi formam non prohiberi, sed permitti; id quod ibidem fufius profequitur; in fine concludens, totam hanc deductionem à primarijs Professoribus Sacræ Theologiæ Louoniensis Vniuersitatis esse examinatam, qui eam in omnib; & singulis suis conclusionib; probarunt, & vsui publico permittendam esse iudicarunt; ne, ppter umbras quasdam vsuræ hic contractus in posterum damnetur; cuius, prohibitione hoc tempore cum damno publico futurâ nõ dubitauerit. Hęc Lessius.

217 Nec obstat, quod Sixtus V. in constitutione edita An. 1586. 12. Cal. Nouemb. damnet, & reprobet omnes contractus in posterum ineundos per quos cauebitur personis, pecuniis, animalia, aut res alias

societatis nomine tradentibus, vt fors ipsa, etsi fortuito casu pereat, semper salua sit, & integra à socio recipiente restituitur; statuens, vt talis contractus posthac vsurarius censeatur.

Quia non obstante hac constitutione, inquit Lessius loc. cit. is contractus in Italia maxime viget; & semper viguit ista forma contrahendi; & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet. illam constitutionem vel nunquam ibi fuisse receptam, vel certe non vetare hanc formulam, sed alio spectare. Multo minus fuit recepta hic in Belgio, vbi neque fuit vnquam promulgata, neque cognita: quod à me pari ratione etiam de superiori Germania dici posse videtur.

218 Quæritur secundo; Quid sentiendum sit de contractu quodam peculiari & innominato, quo absque certo titulo, quinque pro centum annuatim accipiuntur. Fit enim in Germania passim, vt non habita ratione certi tituli, & specifici contractus, pro centum exigantur quinque, saluo capitali suo tempore reddendo; de quo quæstio est, an licitus sit. Etenim ex dictis colligitur, varijs modis licitum & illicitum esse posse.

219 Illicitus quidem erit primo, si vi mutui præcise (quia scilicet alter suo commodo pecuniâ data, ac in suum dominium redacta ad tempus vti potest) adeoque per vsuram, quinarium illud lucrum exigatur: non obstante quocunque pietatis, necessitatis, vel consuetudinis prætextu, vt patet ex dictis de vsura dub. 3.

220 Secundo illicitus est, si quis ita alteri tradat centum, vt nihil de iustitia, vel iusto titulo sollicitus, id solum curet & quærat, vt quinque pro centum obtineat; quocunque demum modo, seu licito, seu illicito: & multo magis, si quis per malitiam, omnem iustum titulum, puta lucri cessantis, damni emergentis, census, vel contractus societatis &c. expresse velit exclusum.

Tertio iniustus est, si quis prætextat quidem aliquem titulum, puta census, contractus societatis, lucri cessantis &c. sed prætextus est falsus, ac titulus nullus: sine contrahenti hoc ipsum constet, siue de hoc plane nolit esse sollicitus.

221 Quatuor autem sunt modi tolerabiles eiusmodi contractû celebrandi, vt ex consultatione Theologorum Romanorum recte docet Valentia q. 25. pun. 3. Primo si suppetat titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, vel aliquis alius, ob quem superius dub. 3. diximus, licite aliquid ultra sortem, etiam in mutuo accipi posse: qui titulus satis quidem est liquidus; sed in particulari non semper locum habet; præsertim quia hi tituli aliquo modo intendi, & nominati etiam duo in pactum deduci debent.

222 Secundo licitus erit, si vel expressa, vel implicita intentione in eatur contractus societatis, cum eo, qui lucrari potest; adiuncto duplici alio pacto, de assicurando scilicet capitali, & lucro quinario certo; relicto in compensationem eiusmodi onerû lucro incerto maiori, v.g. septem in centum; modo id ipsum lucrû merito ex eiusmodi societate sperari possit; vel certe per aliquam transactionem, quod plus, minusve detur, contrahentes sibi mutuo condonent, iuxta dicta superius.

223 Tertio, iustus erit, per modum census; finitimum ab altero contrahente ematur census realis, vt in quinque redimibilis, adiuncto itidem pacto duplicis assicurationis, ipsius scilicet capitalis, & quinarie pensionis: cum præsertim abque his oneribus, quantum est ex iure naturali, facile possint censuallistæ, secundum prudentum æstimationem, non tantum quinque, sed etiam septem in centum accipere; vnde remissis duobus, videri probabiliter possunt duo illa onera compensari, vt docet Valentia loco citato. Necessè tamen est, vt conditiones iure naturali ad censum requisitæ adsint; nec obstant leges positivæ, seu Pontificiæ, seu Imperiales, iuxta dicta dub. 4. Nec obstat, quod census eodem pretio redimatur, vt ibidem diximus.

224 Quarto, iustus & tolerabilis erit, si quis nullo certo titulo specificato, ex centum, homini vel qui lucrari solet, vel bona immobilia habeat, datis, consensu etiam eiusdè accedente, bona fide lucrari cupiat quinque, eo tandem titulo & modo, quo iuste possit modo & à parte rei adit eiusmodi titulus iustus; nec imprudenter sibi persuadeat contrahens adesse. Quem quidem modum, etiam à Theologis Romanis tolerabilem esse iudicatum, testatur Valentia loco cit. qui insuper existimat, eiusmodi lucrum (seclusa peruersa intentione, ac iure positivo) fere semper tolerari posse, per modum aliquem ex prædictis; modo prærequisitæ circumstantiæ obseruentur.

225 Neque tamen ideo nunquam poterit vsura accedere; nihilominus enim poterit; vel ex malitia, vel ignorantia contrahentium; vel ex negligentia, aut etiam difficultate obseruandi requisitæ circumstantias. Quare etiam monet Valentia, propter periculum, tres illos posteriores modos non esse suadendos; quamuis nonnunquam etiam expediet, ei, qui alioqui vsuras exercere solet, ob certius malum euitandum, eosdem explicare; sicut etiam minus malum licite proponitur ei, qui alioqui ad maius malum inferendum est determinatus, vt docuimus disp. 2. q. 6. dub. 8. & consentit Valentia loc. cit.

226 Accedit, quod nunc in Germania paulatim, eiusmodi innominatus contractus quinarij lucri abrogatur; substitutis publica auctoritate certis contrahendi formulis, quemadmodum videre est in Synodo Diœcesana Brixinæ Anno 1603. habita, vbi in fine adduntur sex formulæ contrahendi & lucrandi quinque per centum, ex certis & liquidis titulis. 1. Per modum census perpetui, ex vtraque parte irredimibilis. 2. Per modum census solum ex parte venditoris redimibilis. 3. Per modum census ex vtraque parte redimibilis. 4. Per modum contractus societatis, adiuncta assicuratione capitalis, & lucri quinarij. 5. Per modum mutui, adiuncto titulo lucri cessantis. 6. Per modum mutui, adiuncto titulo damni emergentis.

Additur quidem circa secundam contrahendi formulam, posse easdem duas priores contrahendi formulas etiam vsurpari in mutuo, vbi restitutio summæ capitalis solum in arbitrio mutuatarij posita est, modo mutentur termini. Verum secluso alio titulo, ex vi solius mutui, auctarium accipi non posse, constat ex dictis dub. 3.

227 Dices; vnum titulum accipiendi in mutuo au-

ctariû,



starium, esse etiam dispositionem rationabilem superioris potestatis, seu consuetudinis æquivalentis. Cum ergo lucrum illud quinarium in mutuo etiam absque alio titulo ubique permittatur, & litiganti in tribunalibus adiudicetur, videtur tum vi consuetudinis, tum vi dispositionis superioris potestatis, esse licitum, quamvis nullus etiam alius titulus interueniat. Respondeo, negando consequentiam, Praxis enim illa iudiciorum supponit quidem, & quasi tacite præsumit, adfuisse & adesse iustum titulum accipiendi quinarium lucrum, uti reuera communiter re ipsa non abest; at vero non approbat eiusmodi lucrum, quasi per solum mutuum absque alio titulo iuste ac licite accipiatur. Quare nec in conscientia tutus est, qui in hoc contractu nullius alterius titularationem habet: esto absolute loquendo statui fortasse per vtramque; supremam potestatem, ex causa rationabili, lex posset, ut in omni mutuo (non vi mutui) absque alio titulo, quinque ex centum accipere liceat, ipsa dispositione magistratus titulum supplente. Atque hi sunt præcipui contractus, qui in præsentem videbantur explicandi; de cæteris enim iam alibi diuersis in locis egimus; nimirum de ludo & sponsonibus, supra quæst. 6. dubio 9. de Pignore ac perceptione fructuum ex pignore, supra dub. 3. & partim etiam quæst. 6. dub. 2. de commodato qua ratione à mutuo differat, & cuius culpæ præstationem exigat, eodem dub. 3. & quæst. 6. dub. 2.

Solum de fidei iussione, affecuratione, deposito, & hypotheca hæc præterea notentur. I. Fidei iussio est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non soluerit; siue id gratis fiat, siue pro debita compensatione. Quæ quidem obligatio inualida est, cū principalis debitoris obligatio omnino inualida est.

Requiruntur autem in diuersis fidei iussoribus, ac præsertim in muliere, certæ conditiones; quæ etiam pro marito fidei iubere non potest. Alioqui communi iure, omnes fidei iubere possunt; qui possunt principaliter obligari: & nisi facta sit exceptio, quando sunt plures fidei iussores, pro eodem debito, singuli tenentur in solidum.

II. Contractus affecurationis, est periculi alieni præstatio, seu gratis, seu certo pretio suscepta; quo casu, ad contractum emptionis & venditionis reuocatur. Iustus est, si fraus desit, & pretium sit periculo proportionatum, virorum sapientum iudicio: quod pariter etiam de fidei iussione dicendum est, ob parem vtriusque rationem.

III. Depositum dicitur, tum res ipsa, quæ alicui custodienda traditur, tum contractus, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum restituatur, ut colligitur ex l. 1. ff. Depositi. Et merito pro custodia iustum periculum exigitur.

Nec potest communi iure depositarius uti deposito, nisi ex consensu expresso, vel probabiliter præsumpto ipsius deponentis, vel quando depositum est res vsu consumptibilis, puta pecunia, triticum, &c. & depositarius certus est, se quando depositum repetetur, paratum habiturum tantundem, eiusdem mensuræ & bonitatis; tunc enim saltem non erit mortale uti deposito, ut docent Syluester V. De-

positum num. 10. Molina disp. 534. Lessius cap. 37. dub. 2. Quando autem depositum possit non reddi, & ad quam culpam teneatur depositarius dictum quæst. 6. dub. 2. & 15.

IV. Pignus & hypotheca, tum pro re ipsa, quæ creditori exhibetur, ad affecurandum debitum à debitore, tum pro contractu seu conventionione inter debitorem & creditorem, qua pignus seu hypotheca constituitur, tum pro obligatione quæ ex contractu nascitur, accipitur.

Differunt tamen, quod pignus proprie est rei mobilis; hypotheca rei immobilis: quæ etiam contrahitur vel expresse, nempe ipsa partium conventionione, aut decreto iudicis; vel tacite, nempe legis dispositione, ut in multis casibus accidit; uti videre est apud Syluestrum V. Pignus quæst. 2. Molinam disp. 526. Lessium cap. 28. dub. 6.

Vtraque hypotheca vel est vniuersalis; in qua omnia bona debitoris obligantur, tam præsentia scilicet, quæ futura, iuxta l. fin. Cod. Quæ res pignori: vel particularis, qua res certa obligatur: quæ semper afficit rem ad quemcunque; perueniat, donec vel solutum sit debitum, vel obligatio condonata, vel præscriptione extincta. Plura apud citatos.

#### DVBIVM IX.

*Quidnam in particulari iudicandum, de varijs contractibus, & contrahendi modis, his proximis annis (Anno 1620. & seqq.) in Imperio, ubi moneta antiqua valor adeo excreuerat, visita-*

Ad s. Thomæ 2. 2. q. 77.

Explicauimus hæc tenus breuiter communes, & ubique receptos contractus, & contrahendi modos, idque secundum communem Reipublicæ statum, ac consuetum pecuniæ, qua fere contractus reguntur valorem. Nunc ea difficultas paucis expendenda restat, quid sentiendum sit de varijs contractibus, & contrahendi modis, qui proximis annis ab anno 20. vsque ad annum 25. quo tempore valor Taleri imperialis (in se penitus inuariati) ad quatuor, sex, octo & denique decem vsque florenorum pretium excreuerat, in vsu fuerunt. Quæ quidem difficultas locum habet, tum in omni contractuum genere; tum præcipue in solutione debitorum antiquorum, in emptione tam mobilium, quam immobilium rerum, in locatione & conductione operarum, & in mutuo: de quibus singulis breuiter agendum.

Et quod ad debitorum solutionem attinet, cum per se constet, noua debita, tempore mutati valoris pecuniæ contracta, sub certo florenorum imperialium numero, per se loquendo, recte eodem numero, stante scilicet eodem pecuniæ valore, per soluta fuisse; quando quidem ea ratione inter creditorē &

debito-

debitorem iusta æqualitas seruata fuit. Verum de antiquis debitis, quæ ante tempus aucti valoris monetæ veteris contracta fuerant, vbi verbi gratia Talerus Imperialis non nisi floreno, & tribus, quinque, vel sex bazijs, vel vt summum sesqui floreno constabat, difficultas est; an iuste æquali florenorū imperialiū numero solui poterint, aut debuerint.

233 Vbi simul generatim suppono, cum eiusmodi casus, ac difficultates communi iure nusquam definitæ sint, eas vel iure municipali, vel iudiciorum praxi, adeoque iure consuetudinario (quale tamen constans & vni forme vix reperitur) vel ex naturali æquitate dissoluendas esse. Quamuis enim ante hac etiam fuerit aliqua inter Doctores controuersia, verum in commutationibus etiam habenda sit ratio valoris intrinseci ac naturalis monetæ; aliquibus existimantibus, eius rationem nullam habendam esse, vt etiam de Cambijs indicauimus; id tamen quia de exiguis solum minutijs tunc agebatur, ad præsentem cōtrouersiam nihil attinet; vbi tam enormiter valor pecuniæ mutatur, non solum intrinsecus, sed etiam extrinsecus, vt dicitur. Ea igitur naturali æquitate spectata, ac supposita generali doctrina de contractibus hæcenus tradita, ita sentio.

234 Eiusmodi debitorum veterum solutionem, modo prædicto, ad æqualem scilicet florenorum numerum, per se loquendo, à nemine necessario acceptandam fuisse, ita vt iure cogi posset creditor, ad talem solutionem acceptandam. Hic videtur fuisse communis sensus doctorum & bonorum virorum; quicquid forsitan in praxi nonnunquam in contrarium fuerit obseruatum; cogentibus debitoribus, præsertim si domini essent, suos creditores subditos, ad eiusmodi solutionem acceptandam: quod iustitiæ & æquitati naturali nulla ratione existimo fuisse consentaneum. Ratio est; quia naturali iure, eiusmodi debitorum solutio ad veram æqualitatem facienda erat: at vero in eiusmodi solutione non cernitur vera æqualitas; quia tametsi quoad numerum, floreni florenos exæquarent, inter ipsos tamen illos florenos nulla erat æqualitas; sed nouorum florenorū valor, vnde cunq; spectaretur, non solum duplo, sed etiam triplo, & quadruplo erat inferior, idque triplici ex causa.

235 Primo, quia tam quoad intrinsecum & naturalem valorem, quam in comparatione ad constantem, semperque durabilem monetam imperialem, puta Talerum imperialem, florenus nouus non solum dimidia ex parte, sed etiam triplo, quadruplo, quintuplo; imo septuplo (pro diuersa ratione temporis) erat inferioris valoris, quam florenus veteris monetæ, eius temporis, quo debitum erat contractum. Siquidem tunc vnus florenus cum dimidio summum, constituebat Talerum imperialem; adeoque etiam valorem intrinsecum & naturalem æqualem habebat eiusmodi Taleri imperiali; postea vero non nisi quatuor, quinque, sex, & deniq; decem floreni, tam secundum valorem intrinsecum, quam publicam estimationem, Talerum imperiale conficiebant; ita vt proinde tandē nouus florenus ne quidem pars quinta esset veteris floreni.

236 Secundo, considerando etiam vsum cōmunem eiusmodi florenorum, maxima fuit inæqualitas;

quia tametsi initio, aliquanto tempore, pro floreno nouo ac vili tantumdem ferè mercium quarundam, quibusdam imperij locis, comparari potuerit, quantum antea pro veteri bonæ monetæ floreno; paulo post tamen, secundum estimationem eiusmodi floreni, omnium rerum pretium supra modum excreuit; ita vt scapha v. g. filiginis, quæ antea vendebatur quindecim florenis, postea triginta, quinquaginta 60. 90. flor. venderetur. Sic vna vini, quæ ante 10. flor. vendebatur mox postea 20. 30. 50. florenis vendebatur; & ita de cæteris. Præterquam quod merces omnes, extra imperium, semper longe maiori florenorum numero emere, necesse fuit.

237 Tertio, summa etiam inæqualitas fuit inter eiusmodi florenos nostros, cum veteribus comparatos, propter mutationem & decrementum valoris publici, intra paucos annos certissimo euenturum. Cum enim ea mutatio valoris monetæ plane extraordinaria esset, & ob speciales causas præsentis necessitatis in Imperio contigisset, dubium nemini videri potuit, quin intra paucos annos valor pecuniæ ad priorem statum esset rediturus; ita vt noua moneta illa, quæ tunc florenum faciebat, intra paucos annos vix tribus vel quatuor bazijs esset æstimanda. Cum ergo in pecuniæ valore ac bonitate æstimanda, merito etiam respici debeat duratio & constantia eiusdem valoris, ita vt ob periculum & præcognitionem publicam decrementi futuri, & damni ex eo decremento consecuturi, pecunia merito minoris æstimanda sit, & quidem tanto minoris, quanti periculum, seu potius certus euentus damni futuri æstimatur; nemo non videt, eiusmodi florenos novos antiquis, quoad valorem, & iustam estimationem nequaquam fuisse æquales, adeo vt noui floreni respectu veterum, *nominales*, potius, seu *titulares*, quam veri & reales dici possent; cum reuera nõ haberent pretium, nisi tertie, quartæ, vel quintæ partis veteris floreni, sicut in fine tandem manifeste patuit.

238 Quod si simul circumstantiæ eiusmodi debitorum veterum spectentur; vt quod debitores sæpe non nisi summis precibus, magnaque difficultate vel incommodo creditorum, eiusmodi mutatam pecuniæ summam extorserint; vel quod contracta fuerint ratione operæ vtiliter à creditoribus præstitæ &c. facile quiuis intelliget, quãtè iniuquitatis fuerit, ad eiusmodi solutionem acceptandam, creditores inuitos cogere.

239 Et confirmatur primo: quia nemo negauerit, iniquum esse, debitorem nouum certi numeri florenorum, ratione contractus tẽpore mutata pecuniæ initi, cogere ad eundem numerum florenorum restituendum, secundum valorem veteris pecuniæ. Ergo pariter etiam iniquum est, cogere debitorem veteris debiti, ad acceptandam solutionem secundum taxam nouæ monetæ: quia eadem vtrobiq; est inæqualitas.

Confirmatur secundo: quia si nulla noua viliorque pecunia fuisset cusa, sed solum valor veteris monetæ extrinsece creuisset, omnes facile intelligerent, in ea, quam diximus solutione, nullam esse æqualitatem; vbi scilicet pro sex vel septem cuiusque monetæ clypsis, vnum tantummodo persol-

ueretur:

ueretur; eadem vero prorsus est ratio nouæ illius & vilioris pecuniæ, quæ intrinseca & extrinseca æstimatione, pluris non erat, quam si veteris pecuniæ valor solum extrinsecè creuisset. Confirmatur tertio; quia erga pupillos talis solutio debitorum veterum, velut iniqua, publicis iudicijs est reiecta, vt mox dicitur. Ergo vniuersim etiam erga alios iusta non est. Consequentia probatur: quia iustum & iustitia non pendet ex conditione personarum, sed respicit æqualitatem rerum; & quod alicuius respectu iustum est, non potest, cæteris paribus, alterius respectu iniustum esse, vt pluribus dictum quæst. I. dub. 7.

240 Respondetur II. Pro solutione debitorum veterum, quæ pupillis debebantur, nec poterat, nec debebat à tutoribus, vel curatoribus, eiusmodi solutio acceptari; nisi tutores seu curatores ipsi se se ad damna pupillis præstanda obligatos vellent. Patet ex dictis; quia hoc ipso, quod eiusmodi solutio non erat æqualis, necessario à tutoribus, quibus administratio bonorum pupilli, in utilitatem ac citra damnum eiusdem commissã fuit, respicienda fuit; nisi, vt dictum, damnum ipsi vellent præstare; aut certe nosse, suo, aut pupilli commodo, eiusmodi pecunia vti, citra vllum suum, aut pupilli damnum. Eaq; de causã etiam passim in tribunalibus iudicatum & decretum fuit, ne pupilli, viduæ, pauperes, aut etiam Ecclesiæ cogi possent, ad eiusmodi solutionem veterum debitorum acceptandam.

241 Resp. III. Si quis tamen creditor, sui iuris existens, sponte ac libere, adeoque sciens & volens, eiusmodi solutionem acceptarit, ei nulla facta est iniuria; nec potest vterius quicquam exigere, vel ad damni compensationem agere. Hic etiam videtur fuisse communis sensus doctorum ac prudentum virorum; & passim ita fuit vsu receptum. Ratio est; quia quisque poterat cedere iuri suo; & si quid in ea re inæqualitatis intercedebat, vltro condonare; præterquam quod subinde occasio quibusdam offerebatur, eandem pecuniam mox ita expendendi, vt ex ea solutione nullum damnum sentirent. Quod si tutores ipsi, vel curatores, eiusmodi solutionem sponte acceptarunt, ex qua pupilli notabile damnum senserint, dabitur pupillis quidem restitutio in integrum; sed non aduersus priorem debitorem; sed contra tutorem & curatorem, qui eiusmodi damni causã fuerunt, præsertim si in causã fuerint, quo minus eiusmodi pecunia mox vtiliter, in bonum ac citra damnum pupillorum expendebatur, iuxta generalem regulam; qui damnum dedit, damni culpam præstare debet.

242 Ex quibus etiam multorum casuum particularium resolutio deducitur. Exempli gratia: Fieri potuit, vt officialis quispiam minister Principis, obligatus alioqui, ratione officij, a pecuniarios census Principis, ex vna vel diuersis rebus colligendos, acceperit eo nomine certum florenorum numerum, monetæ bonæ ac veteris. Interim verò, post aliquot menses, antequam rationes accepti redderetur, mutauit monetæ pretium; ita vt Talerus imperialis, qui à ministro sub valore tantum sesquifloreni acceptus fuerat, sensim ad quinque, vel de-

cem florenorum valorem excreveret: quæritur an minister ille potuerit, tempore rationum, in florenis illis Principi soluendis sequi valorem & æstimationem noui illius ac vilis floreni, quã tempore rationum habebat; non obstante hoc, quod magna pars eorundem florenorum secundum valorem antiquum esset accepta. Eademq; est ratio aliarum pecuniarum veteris monetæ.

243 Et quidem ex vna parte videri potest id licite fieri potuisse; quia talis per commixtionem acquirere potuit dominium eius pecuniæ, quã nomine Principis, ante mutatum pecuniæ valorem acceperat. Quare incrementum eiusdem pecuniæ & lucrum ex eo consequens, videtur non ad Principem, sed ad illum pertinuisse; ratione quasi industriæ, in ea seruanda locatæ. Præterquam quod præsumi poterat condonatio ex parte Principis, vbi decessum eius lucri, siue pretij, nemo fortassis magnopere vrgebat.

244 Verum respondetur, id iuste fieri non potuisse; tum quia debitum illud florenorum, ex ea parte, de qua sermo est, contractum erat eo tempore, quo floreni erant multo maioris valoris: Ergo Officialis iste non poterat Principi, pro eo florenorum numero, satisfacere æquali numero florenorum valoris mutati, vt superius dictum n. 234. tum quia cum ea pecunia veteris monetæ, & secundum antiquum valorem acceptæ, fuerit iam Principis; ita saltem vt officialis, quantum intererat, eius loco aliam præsentem representare teneretur; ideo accrementum ac lucrum ex ipsa per se pecuniã (suppositã publicã æstimatione) non autem ex illa conseruantis industria, proueniens, Principi, non Officiali accrescebat, iuxta receptum illud: Nobis communiter accedit, quod è re nostra nascitur, l. 2. & 6. ff. de acquif. dom. & l. 5. ff. de rei vindic. &c.

245 Addo, tantum abesse, vt præsumi possit, Principem eiusmodi tam notabile lucrum (aliquod milium florenorum) velle condonare; vt nec ipse quidem iure potuerit, in manifestum detrimentum boni publici, vbi scilicet ea pecunia, magnam partem, ex labore, sudore, & damno subditorum extraheretur; præsertim in tanta alioquin penuria ac necessitate pecuniæ, ob præsentem & ingentes belli sumptus, eiusmodi condonationem facere. Secus si lucrum illud solum fuisset paucorum aliquot florenorum, quorum iactura in magna summa forte non æstimaretur.

246 Quod vero ad contractum emptionis attinet, maxima in eo genere interuenit commutationis inæqualitas. Initio enim quidem, breui tempore, cum nondum satis animaduertetur nouæ pecuniæ vilitas, merces omnes eodem fere florenorum numero vendebantur: postea verò, animaduersã pecuniæ vilitate, paulatim in duplum tripulum, quintuplum, iuxta nouæ pecuniæ taxam, rerum, omnium pretia creuerunt; quod fere etiam aliquandiu tenuit, postquã moneta pristino valori fuit restituta: vt necessariò dicendum videatur; aut initio multo vilius iusto, aut postea carius, quam par erat, omnia fuisse vendita & coempta.

247 Nihilominus breuiter dico; cum eo perturbato Reipub. statu, nullæ certæ leges, de pretijs rerum præscriptæ essent, nec fere etiam seruari possent;

variabat enim, & Magistratu coniuente, quasi continenter crescebat rerum pretium; nihil etiam in particulari certi definiti posse: sed vniuersim existimandum, ex parte pretij, iustas fuisse emptiones & venditiones, iuxta diuersitatem temporum, publico & communi vsu, Magistratus auctoritate non improbo, receptas; quia in eo casu, vbi leges absunt, communis vsus & aestimatio rebus pretia indit, vt generatim dictum, dub. 2. Quo supposito, si qua forsân à parte rei inæqualitas interuenit, censentur contrahentes, vbi nulla alioquin vis & coactio interuenit, præsertim in re incerta ac ancipiti, facere condonationem.

248 Nec obstat, quod etiam post pecuniæ valorem denuo ad pristinum statum reuocatum, nihilominus rerum pretia eodem fere, aut non multo minori numero florenorum, seu baziorum vendebantur; quia hoc ipsum quamdiu à magistratibus tolerabatur, factum fuit, quasi in compensationem eius damni, quod tum ex mutatione eius pecuniæ, tum initio ex vili admodum venditione rerum, respectu veteris pecuniæ, venditores passim senserant: ita vt mercatores sicut initio vnam vini v. g. pro vno vel altero Talero vendebant; ita etiam post restitutum pecuniæ valorem, octo vel decem Taleris, quasi compensatione facta, venderent; donec publica auctoritate rerum pretia ad antiquum fere statum essent redacta.

249 Quod vero ad locationem, & conductionem operarum, in omni officiorum genere spectat, magna difficultas est. Nam vt à mercenarijs seu operarijs diurnis incipiamus, constat eorum mercedem diurnam, pro ratione accretionis pretij rerum omnium venalium (saltem pro tempore, quod non ita multo post mutationem pecuniæ consecutum est) minime accreuisse. Quamuis enim eorum merces diurna ex tribus bazijs v. g. paulatim creuerit vsq; ad quatuor, quinque, sex bazios, adeoque in duplum; multo minus tamen id fuit accretione pretij, quæ cæteris rebus omnibus, ipsiq; adeo frumento, ob mutationem pecuniæ, non solum in duplum, sed triplum, quadruplum accessit, vt superius dictum.

250 Non minor difficultas est de ijs, seu Ecclesiasticis, seu sæcularibus personis, quibus cum annum suum stipendium solum in pecunia, ad certum florenorum numerum solueretur; ita vt cum aliquibus v. g. deberentur trecenti; alijs quadringenti, aut mille floreni; post pecuniæ mutationem, quo, vt dictum, Taleri pretium excreuit vsque ad decem florenos, non soluerentur pro toto annuo stipendio, plus quam quadraginta, quinquaginta, vel centum Taleri; quamuis secundum aestimationem veterem, pro his alias deberentur fere trecenti, quadringenti, septingenti Taleri.

251 Ad hoc respondeo, plane fatendum esse, eam pecuniæ mutationem toti fere communitati admodum noxiam fuisse, ac præsertim ijs, qui pecuniario stipendio se suamque familiam, sustentabāt. Et quia mercium pretium ex eo vel maxime creuit, quod non solum valor pecuniæ mutatus est, sed etiam ipsa pecuniæ species adeo de bonitate degenerauit, nemine eiusmodi pecuniæ satis fidente, ideo hinc etiam rationes conscientia suæ subducere debent illi, qui primi auctores eiusmodi monetæ mutationis fuerunt, vt dictum superius, q. 6. dub. 12.

Iterum quia supposita mutatione semel facta, si mulque publicæ necessitatis ratione habita; fieri vix aliter poterat, quin perturbato semel rei monetariæ statu, plurima incommoda priuatis orirentur, quæ publicæ necessitati postponenda essent; nõ facile est in particulari definire, cuiam parti, locatori potius, an conductori operarum, damnum eiusmodi imponendum sit: præsertim quando ex ipsismet locatoribus operæ vix quisquam erat, qui non saltem quasdam operas suas vendere carius posset; aut certe alias similiter necessarias operas conducere vilius.

Reuera tamē summa æquitas erat, vt quemadmodum mercenariorum diurna merces, cum cæterarum rerum pretio saltem aliquata ex parte creuit; ita ijs quoq; qui ex annuo stipendio viuerent, suum salarium quantum ad florenorum numerum, augetur; aut certe aliunde quadam compensatione fieret. Quod in primis etiam faciendum fuerit erga Parochos, seu beneficiarios alios, qui suos redditus, aliqui in certa portione fructuum positos, cū suis patronis commutarunt, vt eorum loco, certam aliquam solum pecuniæ summam annuatim reciperent; cū alias ea commutatio in magnam inæqualitatem degeneraret, non sine magno eiusmodi Parochorum damno: qui ex summa illa pecuniaria ducentorum, aut trecentorum florenorum, hoc est, viginti, aut triginta Talerorum, annuatim percipienda, vix ac ne vix quidem viuere poterant.

253 Deniq; circa mutuum duplex difficultas occurrat; prima quid de solutione veteris mutui sentiendum: possent, post eam pecuniæ mutationem, iuste pro certo florenorum numero æqualis numerus in solutione reddi. Sed de hac re iam dictum est initio dubitationis à n. 234.

Alteri difficultas est de nouis mutuis, quæ post mutationem pecuniæ, peracta sunt; licet etiam pro certo florenorum numero pacisci, de restitutione æqualis numeri florenorum facienda, etiam post restitutum antiquæ monetæ pretium.

Respondeo hoc pactum varijs modis accidere potuisse, de quibus aliter atque aliter sentiendum est. Primo, ita vt mutuanti constaret, de restituendo ad conditum tempus pristino pecuniæ valore, imò expresse pacisceretur, sibi eiusmodi florenorum summam non esse restituendam, nisi post restitutum pristinum pecuniæ valorem.

254 Et hic contractus, per se loquendo, vtique iniustus & viciarius fuit; qui proinde mutantem ad restitutionem excessus obligat.

Ratio est; quia mutuans vi solius mutui, multo plus in solutione exigebat, quàm ipse mutuario dederat; siquidem centum floreni v. g. bonæ ac veteris monetæ, siue secundum se & intrinsicum valorem, siue secundum aestimationem publicam, in ordine ad Taleros, aliasq; stabiles monetas, siue in ordine ad communem vsum spectati, plusquam triplo, quadruplo &c. maiorem valorem habebant, quam floreni totidem, vilis ac nouæ monetæ, vt initio dictum resp. 1. Et vtique crassa nimis & intolerabilis visura est, vi mutui pro centum v. g. Taleris imperialibus, fere septingentos; pro ducentis, plusquam mille trecentos Taleros eiusdem speciei, bonitatis & valoris velle exigere. Dixi tamen *per se*; quia per accidens subinde aliter euenire potuit, vt mox dicetur.

255 Secundo contractus ille mutui ita transigi potuit, ut absolute mutuatario concederentur centum floreni vilis pecuniæ; mutuantis postea, cum primū mutuatario liberet, restituendi, quo casu difficultas est, an si mutuatarius solutionem distulisset in id vltique tempus, quo iam valor pecuniæ ad pristinum statum redierat, teneretur mutuantis numerare totidem florenos bonæ ac veteris monetæ.

256 Respondeo; per se non tenebatur: quia mutuantis talem restitutionem ab initio iuste exigere non poterat, sine vsura vitio vt dictum, & ea non erat mutuatarij paciscentis mens ac intentio; cum nemo præsumi possit sibi adeo notabiliter tali contractu voluisse incommodare: per accidens tamē id fieri poterat, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; si mutuantis non minus vitilerit eum quamuis vilium florenorum numerū expendere potuisset, &c. quā postea æqualem florenorum veteris monetæ numerum: modo de hac ipsa re mutuatarius esset monitus, resque in pactum deducta, vt generatim dictum dub. 2. & 3.

Et hac eadem ratione, si aliter lucrum cessans, aut damnum emergens refarciri non potest, nisi restitutio ferret secundum æstimationem veteris monetæ, expresse etiam pacisci licuisset, de restitutione totidem florenorum, secundum æstimationem veteris monetæ faciendā, vt in priori casu dictum fuerat: in cuius proinde resolutione, notanter dixi id *per se*, secluso speciali titulo, per accidens interueniente, non licuisse.

257 Huc etiam pertinet titulus liberæ donationis. Fieri enim potuit, vt aliquis ex præsentī pecunia sibi mutuo data facile maius etiam lucrū caperet, quā sit illud, quod mutuantis postea ex superabundante illa solutione percepturus esset, ideoque volens ac libens, facta condonatione indebiti excessus, sese promisso obstringeret, ad superabundantē illam solutionem exhibendam. Et tunc si de ea donandi voluntate, & subsequuta inde promissione constaret, teneretur is quidem ad eam solutionem, non quidem vi mutui, sed vi liberæ promissionis vi mutuatario acceptatæ, vt vniuersim dictum q. 7. dub. 2. 3.

258 Tertio ita contrahi mutuum potuit, vt cum vtrinque dubium esset, tam de incremento, quam augmento valoris pecuniæ, absolute inter contrahentes conueniret, de æquali numero florenorum soluendo; & tunc si vtrinque par dubium fuit, parisque incrementi vel decrementi dubia expectatio, iuste vtrinque potuit mutuantis æqualem florenorum numerū restituendum pacisci; quia vterque contrahens pari periculo lucri vel damni sese vi talis contractus exponebant. Idque ipsum haud scio, an non sub initio mutationis pecuniæ, per aliquod tempus, re ipsa accidere potuerit; si quidem constare non poterat, an valor pecuniæ post anni spatium, incrementum esset sumpturus, an decrementum.

Quarto denique potuit contractus similis iniri non per modum mutui, sed societatis: ita vt habens v. g. præsentem summam aliquot millium florenorū vilis monetæ, cum alio habente occasionem & voluntatem negotiandi & lucrandi, oblata pecunia, conueniret de recipienda post anni spatium, ac restitutum pristinum pecuniæ valorem, æquali florenorum bonæ ac veteris monetæ summa. Et tunc si

negotiatio illa tam lucrosa censeri posset, vt omnibus spectatis, tantum lucri pecuniam illam conferenti obuenire merito existimaretur (iuxta dicta superius de contractu societatis) contractus talis itidem iustus esse potuit. Sed reuera hoc vix est morale, quia moraliter nulla tam lucrosa negotiatio esse potest, vt salua parte lucri eius, qui operam confert, ei qui solam pecuniam contulit, in singulos florenos quatuor, quinque, aut etiam sex florenorum lucrum suppeditare possit.

259 Ex quibus etiam aliqui casus particulares, (quales occurrere passim potuerunt) dissolui possunt. Primus est; Quidam mutuo v. g. dedit mille florenos, ea lege, vt mutuatarius biennij spatio, ea pecunia gratis vteretur, nec pro ea censum soluere teneretur; at vero post biennij elapsum, teneretur ad integram summam totidem florenorū numerandā; an hic contractus fuerit iustus & necessario seruandus.

Respondeo, si mutuantis hoc ipsum expresse intendit & pactus est, vt non nisi post biennium, quo tempore pecunia iam in pristinum statum esset restituta, ea solutio præstaretur; aut si ita publice existimabatur, post eiusmodi biennium, pecuniam probabiliter ad pristinum valorem redituram, eiusmodi contractum ex parte mutuantis, per se loquendo, ac nisi specialis alius titulus interueniret, puta donationis, lucri cessantis, aut damni emergentis, &c. nequaquam fuisse iustum, sed vsurarium, etiam si interim mutuatarius nullo suo detrimento eam pecuniam exposuisset. Ratio est, quia vi mutui plusquam dederat, depactus est, vt in secunda responsione superius dictum.

260 Nec obstat, quod ad biennij spacium pro ea summa nullus census fuerit acceptus: non solum quia hic ipse census, quinque pro centum, ex vi mutui præcise non debebatur, vt constat ex dictis dub. 3. sed etiam quia illa census remissio nequaquam compensat excessum illum fortis in restitutione exhibendæ, qui videlicet non solum est florenorum quinquaginta in mille; sed plusquam dupli, tripli, quadrupli totius summæ, pro ratione valoris excrecentis, quæ pecunia tempore contractus habebat.

261 At vero si tempore contractus incertum esset, an valor pecuniæ, incrementum potius, an decrementum esset sumpturus: aut etiam, si titulus donationis, lucri cessantis, vel damni emergentis per accidens interueniens & in pactum deductus talem compensationē iuste exigebat, contractus eiusmodi iniustus nequaquam fuisset, vt antea dictum.

Quod si etiam seclusis eiusmodi titulis, contractus vtrinque bona fide esset inicitus, & mutuatarius sponte in eiusmodi contractum consensisset; contra vero mutuantis non defuisset occasio ac voluntas eam pecuniam suo commodo expendendi, saltem ad merces aliquas cõmendandas; ne mutuantis bona fide grauius damnum patiat, vtendum esset, aliqua transactione; quæ merito in omni eiusmodi dubio contractu interponenda est; spectato tum ex parte creditoris, lucro cessante, tum ex parte mutuatarij lucro, quod ex ea pecunia nactus est; non ita quidem, vt totum commodum mutuantis transcribatur; sed vt (velut in contractu societatis) eius ex aliqua parte fiat particeps. Quod si in tali casu solutio mutuatæ pecuniæ oblata fuisset ante resti-

tutum pristinum pecuniæ valorem, tunc de eo perinde iudicandum esset, vt de casu sequente.

262 Secundus casus. Quidam itidem, cum taleris imperialis valeret decem florenis, mutuo alteri dedit mille florenos post anni spatium restituendos; idq; nulla census mentione facta. Interim vero lapsu temporis accidit, vt Talerus reuocaretur ad valorem quinque florenorum. Mutuatarius timens, ne forte intra breue tempus, nimirum ante elapsum anni spatium, à tempore initi contractus, valor Taleri adhuc magis diminuatur, obtulit mutuantem, per certum internuntium, ad proprias eiusdem ædes ablegatum, restitutionem mutui, secundum currens Taleri pretium, ita vt pro centum Taleris mutuo datis qui tempore contractus mille florenos conficiebant, soluere vellet ducentos Taleros, eandem summam mille florenorum conficientes, paratum interim se ostendens, quo vellet etiã alio moneta genere, sortem mille florenorum mutuo acceptã restituere. Hic vero mutuans decessum maioris lucri refugiens, responsum dedit, primũ post anni spatium ex pacto esse restituendum. Itaque suam interim pecuniã vt mutuatarius retineat velle. Elabitur interim anni spatium, à tempore initi contractus, cum pecunia pristino valori restituta est, ita vt Talerus non valeret nisi sesqui floreno. Quo facto à mutuante condicatur restitutio mille florenorum, secundum æstimationem præsentem; ita enim conuentum fuisse, vt fieret restitutio mutui post anni spatium. Queritur, an ea postulatio iusta sit, & necessario executioni mandanda.

263 Respondetur; quia mutuans initio non intendebat, nec in pactone expresserat, vt mutuatario fas non esset, mutuum ante elapsum anni spatium restituere, si vellet; præsertim cum id, stante opinione futura diminutionis valoris moneta, per se loquendo, iuste intendi, aut in pactum deduci non posset, vt superius dictum n. 254. ideo adiectum solutionis terminum, ex communi Doctorum sententia, in fauore mutuatarij explicandum fuisse; ac proinde mutuantem non potuisse iuste, restitutionem mutui oblatam, etiam ante elapsum anni spatium, simpliciter recusare; ita scilicet, vt non solum pro præsentem diceret, sibi iam commodum non esse, huic rei vacare; sed etiam absolute negaret, se ante elapsum anni spatium, debiti solutionem acceptaturum.

264 Quo fit, vt cum mutuans ipse, iniqua recusatione solutionis debiti, causa fuerit, ne debitum ante exactum anni spatium, & restitutum ex integro pristinum pecuniæ valorem, restitueretur; mutuatario imputari non possit restitutionis mora, vel etiam damnum, seu potius iactura maioris ac nimium excedentis lucri, quod mutuans sibi deesse conqueritur. Quia iuxta regulam iuris 4 r. in sexto, *imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, & regulam 60. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. Et rursum ibidem reg. 66. Cum non stat per eum, ad quæ pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*

265 Ex quibus concluditur, nec mutuatarium tene-ri ad summam illam mille florenorum persolendam, iuxta valorem pecuniæ, ex eo tempore re-

stitutum, quo solutionem ipse prius obtulerat; nec mutuantem posse excessum eius solutionis bonæ conscientia accipere, vel retinere, si vi cuiusmodi contractus eam receperit. Præterquam quod per se loquendo, ea ipsa solutio à mutuatario oblata, sortem à mutuante datam adeo notabiliter excedebat, vt nec illam ipsam quidem, ex sola vi mutui, secluso alio speciali titulo, iuste accipere posset, vt in secundo pronuntiato superius dictum n. 256.

Et quamuis non nesciam, inter iure consultos aliquin controuerti, an vnica oblatio, eademq; solum verbalis, purget moram debitoris, ne damnum, si quod ex dilatione solutionis à creditore non acceptatã sequitur, ipsi imputetur; id tamen ad infinitum præsens nihil facere satis constat: quia controuersia illa inter Doctores solum est, quando incommodè solutio offertur; aut certe creditor non simpliciter & absolute recusat acceptationem solutionis, ante certum quandam terminum ab eodem designatum; sed solum in præsentem oblatam debiti solutionem recusat; nihil prohibens, quo minus alio quouis tempore à creditore denuo offeratur, nec adeo etiam excludens voluntatem acceptandi solutionem, ante designatum ab eo tempus: cuius contrarij in proposito accidit, vt dictũ.

267 Certe in contrarium nullus textus iuris adferri potest: & manifeste iniqua esset constitutio, quæ creditori inique recusanti solutionem, interesse, damni emergentis, vel lucri cessantis, ex dilatione solutionis subsequens, adiudicaret. Quia nemo ex sua culpa commodum sentire debet, nec culpam nocentis præstare, innocens. Et iuxta regulam 25. in sexto: *Mora sua cuiuslibet (non alteri, qui causa moræ fuit) est nocua.* Et regula 86. *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.* Et regula 173 ff. de diuersis regulis iuris; *Vnicuique sua mora nocet.* Et regula 203. *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Denique ex communi Theologorum sententia, fur ad restitutionem obligatus, purgasse morã censetur, si rem semel domino oportune obtulerit, vt dictum quæst. 6. dub. 9. n. 258.

268 Quod si tamen oblata solutionis recusatio non absoluta, aut non admodum seria videri potuisset, eaque de causa, quædam ex parte debitoris negligentia intercessisset, in offerenda denuo maiori eũ efficacitate solutione, existimante bona fide creditore, debitorem sponte ac libenter eidem recusationi seu dilationi solutionis faciende acquiescisset; sique ex altera parte creditor ab initio contractus iure potuit ita pacisci, vt etiam restituito pristina pecuniæ valore, pro mille florenis parui valoris, elapsu anni spatio. (nisi citius restituerentur) restituendi essent mille floreni boni ac pristini valoris, hoc est, pro centum taleris imperialibus plures sexcentis, iuxta ea, quæ superius dicta sunt; tunc quia vtriusque culpa interuenisset, merito per transactionem, iuxta prudentum arbitrium, lis componenda esset. Atque hæc ad propositum satis.

## DV B I V M X.

## De quodam quasi contractu; nempe de Tutela; speciatim ad quid obligentur tutores aut curatores.

Ad s. Thomæ 2. 2. q. 77.

269 **P**ost explicatos hactenus veros & formales contractus, iuxta diuisionem contractuum sup. dub. 1. num. 3. expositam, superest breuiter agendum de quodam, præ ceteris admodum celebri, & vtitato quasi contractu, qui est Tutela, seu Curatela; vt etiam Confessarij norunt, quid in Conscientia circa eum statuere debeant; ac etiam vt omnibus constet, ad quidnam Tutores seu Curatores, quorū functio in Repub. adeo frequens est, in conscientia teneantur.

Et primò quæritur, quid sit Tutela, quidque & quotuplex sit Tutor, & Curator; & quomodo constituantur. Responderet sequentibus pronuntiatis.

I. Tutela, itemque Curatela generatim est Officium seu obligatio, ad procuranda bona & commoda minorum, qui vel parente carent, vel sub eius potestate constituti non sunt, iuxta Instit. de tutelis in princip. & l. vlt. Cod. de Curatore furiosus, & Instit. de fiduciaria tutela. Tutor verò quasi tutor, & Curator dicuntur, qui id officium sustinent; quibus etiam ex iustitia talis procuratio incumbit; perinde ac si ex contractu ea obligatio fuisset suscepta, supplente nimirum lege, vel Magistratu vim contractus, vt etiam in Testibus ex officio requisitis accidit.

270 **II.** Differunt Tutor & Curator, præcipue quod Tutor solum conuenit impuberi, hoc est masculo vsq; ad annum decimum quartum expletum, & feminæ vsque ad annum duodecimum itidem expletum, vt habetur Instit. Quibus modis tutela finitur, in princip. & §. *Nostri autem Mares*. Curator autem conuenit minoribus, post completos annos pubertatis (promiscue vtrique sexui) vsque ad annum vigesimum quintum expletum iuxta Instit. de Curatoribus in princip. nisi iure municipali aliter statuatur, vt dicitur inferius n. 276.

**III.** Differunt etiam inter se alijs modis. Nimirum quod Tutor datur impuberi etiam inuito, l. *Nec non ff. de Tutoribus & Curat.* & datur principaliter personæ, quia tenetur curare educationem atque institutionem illius; tamen cum illo in eadem domo habitare non teneatur; secundario autem datur etiam bonis illius, non respectu vnius tantum rei vel negotij, sed vniuersum respectu omnium, iuxta Instit. de Tutelis §. *Est autem*, & Glossam ibidem.

271 Curator autem (communi iure) non datur inuito, iuxta Instit. de Curat. §. *Item inuito*; nisi minor sit furiosus, aut mente captus, vel prodigus, §. *Furiosus*, Instit. de Curat. Et datur præcipue rebus minoris, iuxta l. *In copulandis* Cod. de nupt. minus autem principaliter personæ, iuxta glossam Instit. *Qui test. tut. dari possunt*, §. *Certe*. Quod si minores semel Curatorem susceperint, tenentur

illi subesse (communi iure) vsque ad annum 25. expletum. Instit. de Curat. in princip. At si Curatore careant, valent acta per illos: ita tamen vt si læsi sunt, restituantur in integrum, iuxta dicta dub. 1. à num. 23. Quod si minor litem habeat, tenetur ad eam sumere Curatorem, §. *Item inuito* Instit. de Curat. & leg. 1. & 2. Cod. qui legit. person. standi in iudicio. Exceptis tamen causis spiritualibus, aut de rebus iisdem annexis, vt matrimonio, beneficio, & alijs: in quibus puberes etiam per se ipsos agere & respondere possunt. Iuxta cap. vlt. de iudicijs in 6.

272 **IV.** Tutorum tria sunt genera. Nam primò alij sunt *testamentarij*, qui ex testamento, seu codicillo à Patre, aut alijs ad id priuilegium à iure habentibus relinquuntur, iuxta leg. 3. & glossam ff. de test. tutel. qui si condiciones requisitas habent, cæteris necessario præferuntur, iuxta Instit. de legit. agnat. tutela in princip. & authent. *Matri & auia*, Cod. quando mulier tutelæ officio.

Secundò alij Tutores dicuntur *legitimi*, quos nempe lex ipsa præscripsit & designauit, qualis quidem præ cæteris est mater, si tutrix esse velit. promittendo, se non transituram ad alias nuptias, quin prius Tutelam abdicet, & rationem præteritæ administrationis reddat, iuxta authent. Vt sine prohibet. matres, §. *Quia vero multa*. Matrem sequuntur auia, & contanguinei proximiores idonei, iuxta l. *sicut*. Cod. de leg. tut. & leg. *Intestato*, & l. *si plures ff. de leg. tut. & Inst.* & gloss. §. *Furiosus*, de Curatoribus, & l. de Creat. curat. Cod. de Episc. aud. & vlt. Cod. de Curat. furiosus.

273 Tertiò alij sunt Tutores *dati*, nempe à Iudice electi & constituti, vbi tutores testamentarij & legitimi defunt, iuxta Instit. de Atiliano Tutore, & leg. 1. & seqq. ff. de Tutor. & Curat. datis ab his. Et enim ad Iudicem domicilij patris pupilli spectat, dare ei Tutorem; quem etiam ad hoc, si opus sit, cogere potest, iuxta textus citatos. Eademque etiam locum habent in Curatore, vt habetur in citatis textibus, & notauit Molina tom. 1. disp. 220. Quibus ferè consentiunt. Iura Prouincialia Bavarica part. 5. tit. 5. art. 1. 2 & 3. vbi tamen Matri tutrici alij duo siue tutores, siue adiutores, adiunguntur &c.

274 **V.** Sed & quandoque etiam maiorenibus, & quidem etiam inuito, Curator dandus est à Iudice; nempe si quis furiosus sit, aut mente captus, vel prodigus à Iudice declaratus; surdis item & mutis, atque ijs qui perpetuo morbo laborant, quia rebus suis superesse non possunt, §. *Furiosus*, Instit. de Curat. Et habetur quoque in Iure Prouinciali Bavar. part. 5. tit. 5. a. 11.

Quod si talis sit coniugatus, vxor illius, si idonea sit, communi iure præferenda est. Alioquin Pater præfertur cæteris omnibus, & post Patrem, auus; deinde filius, si vigesimum quintum annum expleuit; alioquin frater, si prædictam ætatem compleuit, & seorsim in propria domo viuat; & denique propinquus masculus proximior in gradu: quibus deficientibus, locum habet Curator, datiuus, vt iuxta §. *Furiosus* & glossam ibidem, Instit. de Curatoribus, & l. *De creationibus*, Cod. de Episc. aud pluribus persequitur Molina disp. 220.

275 Queritur secundo, quinam Curatores aut tutores esse non possint, vel ab eo officio excusentur, & qualis cautio ab iisdem requiratur.

Respondetur I. Tutores & Curatores esse non possunt, 1. serui siue mancipia. 2. mulier, excepta matre, auia, vxore, vt superius dictum. 3. Impossibilis, seu furiosus; aut minor viginti quinq; annis nisi forte sit mater. 4. Prodigus, aut cui post 25. annos ætatis curator dandus est, ex dictis. 5. Infamis, aut suspectus de crimine, vel mala administratione. 6. Religiosus. 7. Episcopus, nisi respectu miserabilium personarum, quarum bona perirent, nisi ipse succurreret. 8. Clerici in sacris ordinibus constituti; nisi cum agitur de tutela legitima, quando sunt proximiores in gradu pupillo; tunc enim esse possunt, sed non tenentur; vel etiam respectu miserabilium personarum, vt de Episcopis dictum. 9. Qui minoribus debet, aut cui minor debet; excepta matre & auia, itemq; auo & patre; itemque excepta forsan tutela testamentaria. Quod si quis tutor aut curator postea debitor aut creditor efficiatur, tunc adiungendus est illi alius tutor vel curator. 10. Miles in militia actu occupatus. 11. Inimicus patris aut minoris necdum reconciliatus. 12. Maritus respectu vxoris minoris. 13. Qui morbo, aut alio simili impedimento perpetuo laborat, ita vt recte administrare bona minoris non possit. Quæ omnia ex iure pluribus confirmat Molina disp. 221. Vid. Cod. lib. 5. tit. 34. Qui dare tutores vel Curatores & qui dari non possunt.

276 Resp. II. A tutela seu Curatela excusantur. 1. qui habet quinq; filios legitimos superstites. 2. Qui res seu bona Regis siue Principis administrant, iteque tabellarij Regis, & Iudices ac ministri Iustitiæ. 3. Qui Reipub. causa absunt. 4. Si quis habeat tres tutelas, quæ oneratae sint. 5. Pauperes, qui tota sua industria ac tempore indigent ad seipsos conuenienter sustentandos. 6. qui ita morbo laborat, vt commode sua ipsius bona procurare non possit. 7. qui nec scribere, nec legere nouit, nisi peculiaris solertia defectum suppleat. 8. Is erga quem capitales inimicitias exercuit Pater minoris. 9. Qui excedit septuagesimum annum. 10. Qui docent liberales artes, aut medicinam, vel hanc exercent de mandato Principis. 11. Qui tutor alicuius fuit, ne sit eiusdem Curator. Quæ itidem ex iure fusc probat Molina disp. 222. Similia habentur in iure Prouinciali Bavarico a. 1. & 5. nisi quod illi ipsi, qui impuberum tutores erant, iubentur postea etiam eorū esse Curatores vsq; ad annum ætatis 21. completum, etiam si isti renuant.

277 Resp. III. Tutores & Curatores iurare tenentur, se minus suum recte executuros, atq; defensores bona & personam minoris, confecturos quoq; (ope Magistratus) inuentarium, & reddituros suo tempore rationem ei, ad quem de iure spectabit, vt habetur Authent. Vt hi q oblig. se hab. §. vlt. & l. De Creatiombus. Cod. de Episc. aud Item l. vlt. & auth. subiuncta, Cod. de Curatore furiosi.

278 Sed præterea satis dare debent, præstito fideiussore, rem minoris saluam, adeoq; integre restituendam fore, nullumq; damnum bonis minoris, culpa aut negligentia tutoris aut Curatoris, vel in illis administrandis ac defendendis, vel in acquirendis obu-

turum; alioquin fideiussorem Tutoris aut Curatoris integre minori satisfacturum, iuxta inflit. & gloss. de satisfat. Tutor. in princip. Nisi Tutores aut Curatores habeant bona imobilia sufficientia, vnde satisfaciatur, vt docet Mol. d. 223. Si quidem vniuersim bona eorundem, tacite sunt hypothecata minori à puncto tutelæ aut curæ susceptæ; ita vt ad quemcunq; peruenerint, possit illa minor sibi vendicare, vt satisfatis, iuxta l. Pro officio Cod. de adm. nist. tut. l. De Creationibus Cod. de Episc. aud. l. vlt. Cod. de Curat. Furiosi, & authent. de hæred. ab intest. §. Sin autem plurimi.

279 Eadem habentur in iure Prouinciali Bavarico p. 5. tit. 5. a. 4. vbi tamen præstatio illa asseruationis arbitrio magistratus relinquatur, & in fine additur: Si tamen post mortem alicuius Personæ nobilis, consiliarij Principis, Patrij, vel Doctoris, cognati per seipsos ex suis idoneis Tutoribus eligent, usque legitimam inuentarij confessionem, Tutelæq; administrationem sub debitæ rationum obligatione committerent, nominatque Tutores apud legitimum ac immediatum suum Magistratum pro confirmatione sui officij sese denuntiare, id prout hactenus factum, deinceps etiam ratum esto.

280 Queritur tercio, quænam sit potestas, & obligatio Tutorum & Curatorum.

Resp. I. Potestas & obligatio eorum generatim se extendit ad triplex rerum genus, nimirum ad personas minorum seu pupillorum. 2. ad illorum bona; ad eorundem causas, vt mox speciatim declarabitur.

281 Resp. II. Circa personas minorum, habenda imprimis ratio est educationis. Et quid si parens seu testator disposuit, vbi vellet educari minor, standum est dispositioni; nisi iudex aliud magis expedire minori iudicaret, iuxta l. 1. ff. vbi pup. educ. debeat. Alioqui si mater superstes sit, neq; ad secundas nuptias transferit, regulariter impuberes apud illam educabuntur, iuxta l. 1. Cod. vbi Pup. educ. debeat; nisi circumstantiæ aliud iuadeant v. g. ob prauos mores faminae, aliaue corporis animæue pericula: tunc enim apud auct potius, vel alium iudicis arbitrio prudenter designatum educabitur, iuxta l. 1. & 2. Cod. vbi pup. educ. debeat, & l. 1. ac penult. ff. eod. tit.

282 III. Eodem spectat, vt tutores curent minores postquam legere & scribere didicerint, p. conditione suæ personæ institui, vel in aliquo officio, vel in bonis literis; idq; taxata per Iudicem certa portione ex bonis minoris ad alimenta & his annexa quotannis infumenda, iuxta l. Quod plerumq; Cod. de adm. Pup. prest. & l. 3. 4. ff. vbi pup. educ. deb. Quæ quoad fieri potest, ita moderata esse debet, vt non omnes redditus patrimonij minoris in eis infumantur, sed semper aliquid superfit, quo patrimonium augeatur, iuxta l. 3. ff. cit. tit.

283 IV. Quod ad bona minoris attinet, tenetur generatim Tutor vel Curator illa administrare ea cura & diligentia, quæ diligens Paterfamilias suis proprijs rebus adhiberet; tam impediendo & præcauendo dâna, quàm procurando comoda & lucra minoris, iuxta l. A Tutoribus. ff. de Administ. tut. Vnde primo curare debet, vt resciantur ædes, colantur agri, domus locentur, greges & pecora nutriantur &c. Secundo curabit, vt ea mobilia, quæ commode seruari non possunt, vt sunt vestes attritæ, iumenta minori non necessaria, triticum, vinum, & oleum, & his similia

vendi-



283 venditione, vel permutatione aliqua vtiliter, & commodè distrahantur; neque ad hæc opus est auctoritate iudicis: aliàs damnum, & decessus congrui lucri tutori seu curatori imputabitur; iuxta dicta q. 6. dub. 2.

Nihil tamè Tutori aut Curatori, siue personis eidem subiectis, ex vllis bonis minoris, quamdiu is talis est, neq; per se, neq; per alium, emere licet, iuxta l. Non licet. & l. si in emptione. ff. de contrah. empt. & Constit. Bavar. part. 5. tit. 5. art. 15. nisi interueniente auctoritate iudicis, aut cum ex eius decreto bona pupilli publicè per iuratum venditorem omnibus venalia exponuntur, vt ibidem limitatur.

284 V. Curabit quoq; Tutor & Curator, quoad fieri potest, vt pecuniæ pupilli, nõ quidem ad vsuras exponantur, quicquid l. Tutores Cod. de administ. Tut. alijsq; locis iure ciuili dicatur, id enim iure naturali & Canonico reprobatur est; sed vt in emptionem agrorum siue prædiorum, vel ad alios honestos & lucrosos securosq; contractus vtiliter exponantur, aliàs tenebitur de luero cessante; vt apud Couarruiam 3. var. c. 2. n. 1. & Molinam tom. 1. disp. 224. habet communis, obseruatà tamen communi doctrinà superius traditã q. 6. dub. 2.

VI. Bona verò immobilia minoris, aut alia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, nõ possunt sine decreto iudicis alienari, iuxta l. 1. & seqq. ff. de rebus eorũ q sub tutelã, & l. Lex qua, Cod. de administ.

285 Causã verò alienationem concedendi potissimũ sunt, si vrgeat res alienum, quod aliunde commodè solui non possit; aut si minor aliunde non possit alii, aut redimi ex seruitute, aut ab alio discrimine eripi, iuxta l. Ob res alienum, Cod. de præd. min. vel etiam quando id manifestè expedit minori; vt si vnum prædium vendatur, vt ematur aliud vtilius &c. aliasque similes ob causas, quæ iudicis prudentis arbitrio sufficentes iudicentur. Ita etiam sine decreto Iudicis non potest minor remittere, vel renuntiare hæreditati, legatis, fideicommissis, alijsque iuribus sibi acquisitis, iuxta l. Magis puo. ff. de rebus eorum. & l. si ad resoluendum, Cod. de præd. min. vt pluribus dicitur disp. 6. quæst. 3. dub. 6.

286 VII. Quoad causas minorum attinet, pupillus dum infans est, hoc est, minor septennio, vel infantie proximus, (ita vt si masculus est, non peruenit ad decimum annum cum dimidio; aut, si sit foemina ad nonum cum dimidio) nihil per se efficere potest, quo vel ipse alteri obligetur, vel alterum sibi obliget, iuxta Instit. de inutil. stipul. §. Pupillus, aliaque iura. At verò pupillus pubertati proximus obligare quidem sibi potest alterum, etiam sine auctoritate tutoris: sed alteri se obligare non potest, nisi cum tutoris auctoritate, iuxta Instit. loc. cit. & auctorit. Tutor. in princip. Quo fit, vt contractus sæpe claudicare dicatur, inter pupillum & maiorem. Quamuis si contractus onerosus neutra ex parte sit adimpletus, non tenetur maior implere contractum, nisi pupillus etiam adimplere velit. Imo in contractu sine tutoris auctoritate celebrato, si minor sit pubertati proximus, manet is etiam naturaliter (non tamen ciuilitè) obligatus, iuxta l. Cum illud, §. Hæres, ff. quando dies legati, vt pluribus persequitur Molina cit. disp. 224. & dictũ supra quæst. 6. dub. 11.

287 VIII. Eadem portò est ratio minoris, si curatorem habeat. At verò minor curatore carens validè alienat & contrahit, circa res suas, quæ decreto iudicis non indigent, vt alienentur: secus si abiq; Iudicis decreto id faciat, circa res illas, quæ iudicis decreto indigent: saluã interim semper restitutione, in integrum; etiam si per ipsius Iudicis sententiam sit læsus, iuxta l. si curatorem, Cod. de integ. restit. l. 1. Cod. de auctorit. præst. l. Neg. tutor Cod. de contrah. stip. l. obligari, ff. de act. & oblig. l. Cum ex minoribus Cod. Si aduersus rem iudicatam, aliaq; iura.

288 In iudicio autem, non secus ac de pupillis dictũ, inualida vniuersim sunt ea, quæ minores sine Curatoris auctoritate egerint, si in ipsorum cedant incommodum; secus si in eorum commodum cedant: qua de causa sine Curatore non admittuntur ad lites etiam earum rerum, quas sine decreto Iudicis possunt aliepare; vt tradit Molina cit. disp. 224. apud quem hac de replura.

289 IX. Iuxta constit. Bavar. part. 5. tit. 5. art. 6. 8. 10. 12. 13. si plures sint tutores vel curatores, quam duo, ad dispositionem pro minoribus faciendam requiritur consensus plurium; si duo tantum, in rebus maioris momenti vtriusq; consensus requiritur. Quod si vnus delinquat, alijs contradicentibus, illi soli damnum imputatur, alias omnibus. Et tenentur Curatores & Tutores singulis annis rationem administrationis reddere; nisi ob paruitatem rei, iudicio Iudicis ad parcendum sumptibus tempus prorogetur. Sumptus verò in administratione tutelæ faciendi, ex bonis minoris fiunt. Quod si tutorum aliquis defes aut noxius in administratione, deprehendatur, amouendus alijsq; substituendus est, impositã delinquenti debitã satisfactio.

Quæritur quartò, quando tutela, aut cura finiat; & quod sit eius stipendium. Respondetur. I. Iure communi tutela finitur, cum pupillus pubertatis annos adeptus est, iuxta dicta: Curatela autem communi iure finitur post completum annum 25. minoris: nisi aliter iure municipali sit statutum iuxta num. 276.

290 II. Finitur quoque tutela, si impubes arrogetur, deportetur, vel in seruitutem redigatur, iuxta Instit. Quibus modis tutela fin. §. Item finitur. Item morte pupilli vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, seu maxima, seu media, quã nempe vel libertatem, vel ciuitatem amittat. Aliquando etiam desitã conditione, seu finito tempore, si tutela sub conditione, vel ad certum tempus data sit. Item si tutores apud magistratum, legitima de causa se excusent, & missionem impetrent.

291 III. Sæpe ipsius magistratus officio Tutor remouetur, si ineptus aut infidelis deprehendatur, aut meritò suspectus sit, vt superius dictum. Eoq; ipso quod tutor aut curator velut suspectus est accusatus, lisque est contestata, tradi à Iudice debet minori curator, qui interim, dum lis pendet, curam minoris ac bonorum illius habeat; prior autè Tutor vel Curator ab administratione est suspendendus, §. Si quis autem, Instit. de suspens. tutor. & l. Eum quem, Cod. eod. tit.

292 IV. Si tutor vel curator ab officio remouetur, ob commissum dolum erga minorem, redditur infamis: secus si ob aliam culpam, etiã latam, iuxta §.

*Suspectus autem.* Infit. de suspecto tut. & communem apud Molinam disp. 225.

V. Si Tutor vel curator, post rationes officij redditas, fidelis deprehensus fuerit, debetur ei meritò præmium: quod quidem aliquib<sup>9</sup> locis est vigesima pars reddituum bonorum omnium minoris: in alijs autè decima pars; vt testatur Molina disp. 224. circa fin. In Constitutionibus Bavaricis pars. 5. tit. 5. art. 14. ita statuitur: *Vt tutori eiusque heredibus, post legitimum eius decessum, pro conditione substantiæ pupilli, laborumq; à tutore exantlatorum, per pupillos, eorum propinquos, aut si ab his pro meritis non fieret, à Magistratu cuiusq; loci, conueniens honorarium ac compensatio laborum operaq; & cura impense præstetur, aut per magistratum adiudicetur; ipsiq; tutoribus, in susceptione tutelæ, eiusmodi remunerationis securura spes fiat.* Hæc de tutoribus.

#### D V B I V M X I.

### De Testamentis, alijsq; ultimis voluntatibus.

Ad s. Thom. 2. 2. q. 77.

294 **A**D contractus etiam meritò à nobis referuntur Testamenta, aliæque ultimæ voluntates, quæ quia adeò frequentem in humanâ societate vsum habent, nec parum conscientiam tangunt, parum non est à Theologo penitus ignorari, etsi nos iam supra nonnulla huc spectantia diuersis in locis tractauimus, vt speciatim referemus.

Et primò quæritur, quid sit Testamentum, & quomodo à Codicillo, alijsq; ultimis voluntatibus differat. Respondetur sequentibus pronunciatis.

I. *Testamentum* sic dictum à *testando*, siue quia testator suæ mentis, seu ultimæ voluntatis testimoniū eo explicat; siue quod testator in eo alios suæ voluntatis ultimæ testes adhibet, iuxta Infit. de testam. in princip. & alios apud Covarruuiam in rub. de testam. part. 1. communiter ita solet definiri, iuxta Vlpianum leg. 1. ff. de testam. & glossam ibidem: Est voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, cum hæredis (directæ) institutione.

295 II. Quare testamentū ex suo genere, est quædam *ultima voluntas*; & conuenit cū cæteris ultimis voluntatibus; vt sunt Codicillus, legatum, fideicommissum & donatio causa mortis: quæ quidē omnes dicuntur ultimæ voluntates, quia disponunt de bonis in tempus post mortem disponēdis: cuius etiam idcirco morte confirmatur, cum ante mortem sint reuocabiles, nec vim & effectū absolutum habeant, iuxta Apostolum. Heb. 9. v. 17. quas proinde hoc saltem sensu necesse est esse ultimas, vt post eas non fuerint aliæ, quæ vim illarum abstulerint, vt rectè notauit Molina tom. 1. disp. 124.

296 III. Differt testamentum à Codicillo & alijs ultimis voluntatibus, tum proprijs solēnitatibus, sine quibus legitimum & validum esse non potest, vt inferius dicitur; tum per illam definitionis particulam, *cum hæredis directæ institutione*: quæ adeo intrinseca est testamento, vt sine eâ testamentum esse non possit, vt constat ex §. *Ante hæredis*. Infit. de legatis, §. *In primis*, Infit. de fideicom. l. *ultima* ff. de hæred.

infit. & l. *vt. ff. de Codicillis*: & contra, hoc ipso quod in aliqua ultimæ voluntatis heres directè instituitur, habet rationem testamenti, saltem secluso speciali priuilegio, iuxta l. *Militi Codicillo* ff. de milit. testam.

297 Quod tamen non obstat, quo minus legatum, seu actus legandi, itemq; fideicommissum, in directæ substitutione, reipsa possint esse partes integrantes testamenti, seu Codicillis; sed quia absolute testamentū sine his esse potest, & singule per se rationem ultimæ voluntatis habent, ideo sunt quasi species ultimæ voluntatis inter se cōdistinctæ, vt docet Molina loc. cit.

298 IV. *Codicillus* vero, sic dictus, quasi paruus codex, seu parua scriptura, est quædam sine directâ hæredis institutione, ultimæ voluntatis dispositio, siue inscriptis, siue in verbis fiat, iuxta Infit. & Cod. de Codicillis, & ff. de iure codicillorum. Diferunt codicilli ad legata instituenda, ad fideicommissarias seu indirectas substitutiones, vt & ad declarandū & immutandum seu corrigendum aliqua in testamētis: nec vnquam continent directam heredis institutionem, nisi per accidens & ex priuilegio militi concessio, iuxta cit. l. *Militi*. Nec etiam codicillo hereditas auferri cuiquam potest, Infit. de codicill. §. *Codicillis autem*; nisi delictum Codicilum notatum, postea probetur, vt docet Molina disp. 131.

299 V. *Legatum* (pro actu legantis, non pro re legatâ acceptum) est ultima voluntas, qua defunctus rem aliquam particularem (siue id, quod rationem hereditatis non habet, vt fideicommissum vniuersale excludatur) alicui ab herede præstandam liberaliter relinquit. Non differt à *particulari fideicommissio* quoad rem & effectum, sed solum quoad verba. Quando enim verba testatoris diriguntur ad legatarium, vt si dicat; *lego* aut relinquo Petro hoc vel illud, dicitur legatum: quando verò testator ea verba dirigit ad heredem, vel etiam legatarium, vt hoc vel illud dent Petro, dicitur particulare fideicommissum. Et differt vtrumq; tum à *donatione* inter viuos, quæ in vita donantis fit, roburq; habet; tum à *donatione causa mortis*, quæ non ab hærede, aut legatario, sed à viuente testatore præstatur: quamuis ante mortē testatoris nõ confirmetur, vt plurib<sup>9</sup> docet Mol. tom. 1. disp. 193.

300 Quæritur secundo, quæ solēnitates requirantur, tum ad testamentum, tum ad codicillum, aliæque ultimæ voluntates.

Resp. I. Cum duplex sit testamentum, vnum scilicet *in scriptis* seu *clausum*; eo quod tabellionem, & testes lateat, quid in eo contineatur, nec aliter quam scripto fieri potest; alterū *nuncupatum*, quod voce coram testibus delectatur, quid in eo contineatur, seu quid testator post mortem suâ fieri velit, ideoq; tum scriptis, tum etiam solâ voce fieri potest: ad testamētum clausum iure cōmuni Cæsareo sequentes solēnitates necessariæ sunt. 1. vt post confectam & clausam scripturam testamēti, adhibeantur septem testes masculi liberi, puberes, ac rogati, & ceteroq; etiam ad testandum habiles, adeoque non infames, non suspecti, vel partiales, iuxta Molinam disp. 127. post Iulium Clarum; coram quibus simul congregatis testator benè mentis compos dicat, hoc esse suum testamentum. 2. vt testator illud deinde propria manu subscribat, si sciat & possit; si minus, vt adhibeat octauum testem, qui loco illius subscri-

subscribat. 3. vt subscribant illud simul eodemque tempore septem vocati testes, singulique illud siue proprio, siue alieno (nec refert, si omnes eodem) sigillo consignent, iuxta Instit. de testam. §. *sed cum paulatim*, & sequentibus, & l. *Ad testam* ff. eodem tit. & l. *Hac consulesima*. Cod. de testam. vbi dicitur: *Si horum aliquid deficiat, tale testamentum pro infecto haberi conuenit.*

301 II. Ad testamentum verò nuncupatiuum (quale etiam à cœcis fieri potest) eodem iure, septem itidē testes, vt supra qualificati, sunt necessarii, qui simul conuenientes audiant ac intelligāt testatoris voluntatem, vel scripam, vel voce prolata: non tamen requiritur subscriptio, aut sigillum, iuxta cit. l. *Hac consulesima*, §. *Per nuncupationem*, Cod. de testam. & l. *Heredes palam*, ff. eod. tit. & Instit. de Testam. §. *vt. vt ex communi* fusè explicat Molina tom. I. d. 125. & 126. vbi etiam docet, publicum tabellionem siue Notarium, solennemq; publicationem testamenti, per se & cōmuni iure non esse necessariam: nisi in testamento cœci, qui præter septem testes adhibere debet tabellionem, aut si hic haberi nō possit, octauum testem, vt docet idem disp. 130. Vtilis tamē est opera Notarij in consecutione testamenti, vt habetur etiam Iure Bauarico (Landrecht) tit. 4. art. 3.

302 III. Ad vtriusque itidem testamenti valorem requiritur vt sit perfectum & absolutum; nam si perfectū non sit, quia loqui amplius nō potuit testator, aut ob aliam causam, nullum est, etiam quoad illa, quæ testator ante coram testib⁹ disposuerat, iuxta l. *Si quis cum testamento*, & l. *Ex ea scriptura*, ff. de testam. & l. *feriosum*, Cod. qui testam. fac. poss. & Instit. Quibus modis testam. infirmantur, & communem Doctorum, apud Couarruiam de Testam. cap. Relatum 1. n. 9. & Molinam disp. 127. Neq; enim satis est, nutibus exprimere heredem; sed necesse est, vt testator vel scribendo propria manu, vel voce illum exprimat, & designet, ita articulata, vt clarè intelligatur, quem instituat; esto balbutiend⁹ & tardè, aut etiam interposita aliorum interrogatione illum exprimat, iuxta l. *Inuenimus*, & l. *Quoniam indignum*, Cod. de testam. Secus est de legato & fideicomisso, quod etiam solo nutu factum valere constat ex l. *Nutu*, ff. de legat. 3. Et vniuersum testamentum, vt sit validum in foro externo, habere debet solennitatem requisitam in regno aut loco, in quo sit, vt docet Molina disp. 127.

303 IV. Excipiuntur tamen à communi solennitate, quædam testamenta, vt primò testamentum coram Rege vel summo Principe, quod absq; alia solennitate validum est, iuxta l. *Omniū* Cod. de testam. Item testamentum militis, quod validum est cum duobus tantū testibus, etiam fœminis, iuxta l. *Diuis* ff. de militari testam. imò cum in prælio versatur, sufficiant quæcunq; signa, vt habetur in Iure Bauarico (Landrecht) tit. 34. art. 7.

Deniq; huc spectat testamētum inter liberos aliosque descendentes; quod validum est cum duobus testibus, sine masculis, siue fœminis etiam nō rogatis; idq; etiam sine testium subscriptione, & alijs solennitatibus requisitis, iuxta l. *Hac consulesima*, §. *Ex imperfecto*, Cod. de testam. & l. *vt. Cod. familiæ erciscundæ*. Idq; procedit etiam si liberi inæqualib⁹, orationib⁹ sint instituti, vt contra Couarruiam de te-

stam. cap. *agnitum* §. 1. n. 3. docet Molina disp. 128. modo in testamento clauso subscriptio fiat, vel à testatore, vel à liberis in eo institutis, iuxta authent. *modo*, Cod. Familiæ erciscundæ; vel certè testator propria manu, distinctiq; characteribus exprimat nomina filiorum, quos hæredes instituit, cum suis portionibus, & adiuncto tēpore, quo testamētum conficit, iuxta authent. *quod sine*, Cod. de testam.

304 Quod si præter liberos, in tali testamēto persona extranea admisceatur, inualidum est, quoad illam, & relictum illi accrescit liberis, cit. §. *Ex imperfecto*, & l. *vt. vt pluribus* persequitur Molina disp. 128. Similia habet Ius Bauaricum (Landrecht) tit. 34. a. 8. Quod etiam a 9. & 10. moderationem adhibet circa testamenta rusticorum, & quæ tempore testis, seu apud personam infectam fiunt. Atq; hæ exceptiones constat ipso iure Cæsareo, & seclusis etiam causis pijs, de quibus inferius agetur num. 307.

305 V. Porrò in codicillis, alijsq; omnibus vltimis voluntatibus, seu scripto clauso, seu nuncupatiuè fiant, (exceptis testamentis, de quibus supra) requiruntur & sufficiunt quinq; testes, etiam nō rogati, nec masculi; neq; si scripto fiant, aliud præterea requiritur, quā subscriptio testium, iuxta l. *vt. Cod. de Codicillis*, & §. *vt. Instit. de fidei cōmiss. hæred.* Exceptis codicillis cœcorū, in quibus eadem solennitas, quæ in eorundem testamētis, est necessaria, iuxta l. *Hac consulesima*, Cod. qui testam. fac. possunt.

Atq; hinc fit, vt si condens testamentum, omiſsa solennitate ad testamētum, non verò ad codicillum necessaria, adiungat tamē formaliter aut virtualiter clausulam codicillarem, quæ dicat, se velle, vt si ea dispositio nō valeat, vt testamētum, valeat tamē vt codicillus, aut modo meliori, quo potest, tunc etiā in foro exteriori valeat, vt codicillus: ita quidem, vt quamuis directā hæredis institutio sit nulla, valida tamen sint legata in eo relicta; imò etiam deficientibus necessarijs hæredib⁹, institutio hæredis extranei directā conuertatur in fideicommissariam, hæredesq; ab intestato, teneantur illi restitui hæreditatem; detracta sibi solū quarta Trebellianica; itemq; vt si testator testamento iniuste prætereat aliquem heredem necessariū, instituatq; heredem extraneum, tunc hæres prætermisus teneatur extraneo restituere reliquum hæreditatis, seruatà sibi solum legitimā suā portionē, vt ex iure probat Molina disp. 132. & sequitur Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 1.

306 VI. Neq; verò hæ solennitates iure ciuili requisitæ, reprobatae sunt iure canonico, cap. *Cum esses*, de testa. vbi valida pronunciantur testamēta, quæ *parochiani coram presbytero* (seu parochio) suo, & *tribus vel duobus alijs personis idoneis, in extrema fecerint voluntate* &c. Pertinet enim hæc cōstitutio solum ad terras dominio tēporali Ecclesiæ subiectas, vt cum glossa ibidem ex probabiliore docent Canus lib. 6. loc. c. 8. ad 4. Couarruias de testa. cap. *Cum esses*. n. 3. & Molina disp. 133. quamuis alij aliter sentiant. Gaudentque eodem dispositionis Ecclesiasticæ fauore etiā Clerici, si non omnes, certè illi, aut ijs locis, vbi Iuris canonici dispositioni subijciuntur, vt docet Molina ibidem, addens ex communi, sufficere etiā quatuor testes sine parochio; eo quod duo testes æquipolent & præponderent parochio.

307 VII. Ceterum præter ea, quæ circa solennitatem

testamentorū diximus, etiā alia duo hoc loco quæri possunt, nimirum 1. Vtrum ea solennitas etiā sit necessaria in testamento, aut legatis ad pias causas. 2. an ea solennitas sit necessaria, etiā ad obligationem naturalem, ac in foro conscientiæ. Sed vtrumque satis explicatum est supra q. 6. dub. 13. Certe in foro conscientiæ satis esse, si hæredis institutio vel solo nutu fiat, modo certo constet, eam fuisse testatoris adhuc bene sui compotis voluntatem, tradit etiā Molina disp. 127.

Qui addit disp. 134. cum Couarruua cap. *Relatum* 1. n. 8. duos testes necessarios non esse, in testamento aut legato ad pias causas, quasi sine eis non sint valida, sed solum ad faciendam fidem in foro exteriori; ac proinde quando hæredibus ab intestato constat, defunctum reliquisse aliquid in piam causam, esto voce solum id reliquerit, neque possit sufficienter probari per testes, teneri in foro conscientiæ id soluere; quando talis dispositio, itando iure naturali, non est inualida; neque enim per cap. *Relatum*, aut vsquam alio iure canonico irrita est declarata; quod & mihi videretur verissimū.

308 Quæritur tertio, quis possit, aut debeat testari, aut testamento hæres institui.

Respondetur I. Iure communi, omnes & solos illos testari posse, qui rationis vsū habentes, peculium habent; nisi iure prohibeantur. Prohibentur vero 1. impuberes. 2. filius familias; nisi de bonis castrensibus, & quasi castrensibus; item de aduentitijs, quæ post Clericatum consecutus est; non vero ijs, quæ ante clericatum consecutus est, nisi ad pias causas, ex patris consensu. 3. Iure ob crimen facti intestabiles iuxta leg. *is cui*, & l. *Cum lege*, ff. *Qui testam.* & cap. *Felicis*, de pœnis in 6. aliaque iura. 4. Religiosi, nisi ex concessione summi Pontificis, ad pias causas. 5. Clerici, nisi de bonis patrimonialibus, vel quasi; & ex consuetudine de alijs, ad pias causas, vt fufius dictum q. 6. dub. 8. vbi de hac re ex instituto egimus. 6. Damnati ad mortem, naturalem, vel ciuilem, carcerisve perpetuos, nisi ad pias causas. Quæ omnia ex iure fufius probant & declarant Syluester V. *Testamentum* 1. q. 3. & 4. Molina tom. 1. ad disp. 136. vsque ad 138. & Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 4.

309 Respondeo II. Tamen si per se loquendo (vbi ratio debitorum, ad exonerandam propriam conscientiam, securitatemque; scandala, & lites præcauendas id non exigunt) nemo sub graui obligatione teneatur testamentum facere; grauius tamen contra iustitiam peccant ij, qui impediunt, ne quis libere testetur; aut ne quis mutet testamentum iam factum, & teneatur ad restitutionem in vtroque faciendam ijs, ad quos bona defuncti fuissent peruentura, iuxta dicta q. 6. dub. 2. ac in foro exteriori, præter alias pœnas, priuantur etiā omni emolumento bonorum talis defuncti, vt iuxta l. 1. & 2. ff. Si quis aliquem test. prohib. l. 2. Cod. eod. tit. l. *Testamenti*, Cod. de inoff. testam. pluribus docet Molina disp. 135.

310 Respondetur III. Hæredes aut legatarij institui non possunt. 1. hæretici & apostatæ, ijsque adhærentes, iuxta l. fin. Cod. de hæret. & l. *Hi qui sancti*, Cod. de Apostatis. Sed de quo vid. disp. 1. q. 8. dub. 5. vbi de pœnis hæreticorū & Apostatarum e-

gimus. 2. Qui persequitur Cardinales, eosque percutiunt, vel capiunt, cap. *Felicis*, de pœnis in 6. Item 3. Intestabiles ob crimen, de quibus supra. 4. Fratres minores, alij; nonnulli religiosi, vt dicitur disp. 6. q. 3. dub. 6. Quamquā potest in eorum fauorē hæreditas relinqui, vt per executores vendatur, & detur eis pretium, vt docet Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 5. Vid. etiā infra disp. 6. q. vlt.

Resp. IV. Hæredes necessario instituendi sunt legitimi descendentes, liberi, nepotes, &c. & in horum defectum, ascendentes, Pater & Mater, & his deficientibus, aui, proauj, &c. vt pluribus declarat Molina disp. 159.

Resp. V. De filijs illegitimis est distinguendum. Naturales, qui nimirum ex simplici fornicatione nati sunt, possunt à suis Parentibus institui hæredes etiā vniuersales, si ipsi legitimas proles non habeant, vt patet ex l. *Licet*, Cod. de fil. natur. quin etiā matri carenti legitimis succedunt ab intestato ex alie; habenti autem legitimos succedunt ex æquo cum illis, iuxta l. *si qua illustris* Cod. ad senat. consult. *Orficianum*. Patri etiā carenti legitimis non succedunt ab intestato, nisi in duabus vncijs, hoc est, in sexta parte bonorum, iuxta l. *Licet*, Cod. de fil. natur. Potest tamen etiā ab habente liberos legitimis eis relinqui vncijs, hoc est, pars duodecima bonorum.

Resp. VI. At vero spurij, qui ex damnato coitu nati sunt (ab ijs scilicet, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens) non possunt aliquid à patre accipere, siue ex testamento, siue ab intestato siue ex contractu inter viuos, vt patet ex l. *Licet*, Cod. de nat. lib. & Nouella 74. cap. 6. Et punitur, adeoque etiā peccat grauius hæres, qui hæreditatem spurio ex Patris testamento, vel ex promissione eidem facta restituit, iuxta l. penult. ff. de iure fisci, l. *Prædones* ff. de pet. hæredit. etsi possit hæres ex sua liberalitate sponte hæreditatem restituere spurio, & hic vicissim accipere, quia id nulla lege prohibetur.

Neque potest etiā spurius succedere matri, etiam si nullam aliam prolem habeat, vt habet communis Doctorū sententia, apud Couarruuiam de matrim. part. 2. cap. 8. §. 5. num. 20. Molinam disp. 167. & Lessium lib. 2. cap. 19. dub. 6. Etsi Henriquez lib. 1. de matrim. cap. 21. §. 1. & Sa V. *Hæreditas*, existiment, spurium posse retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per iudicem priuetur, modo legitimis liberis notabiliter nō noceat: quod etiā Lessius loc. cit. non improbabile existimat.

311 Resp. VII. Nihilominus tamen etiā spurij debentur à parentibus alimenta, si aliunde se non possunt sustentare, vt patet cap. *Cum haberet*, de eo qui duxit in mat. non obstante iure ciuili l. *Ex complexu* Cod. de incest. nupt. huic enim merito p̄ Canones derogatū est. Quo fit, vt filia spuria etiā debeatur dos, vt quæ in locū alimentorum succedit, etiam si Patens fuerit sacerdos, vt cum Nauarro in cap. *Non licet*, §. 19. n. 11. & Couarr. n. 15. docet Lessius loc. cit. Imo Henriquez c. 20. n. 4. putat hæc alimenta spurij relinqui posse, etiam si ipsi non egeant, quod non omnino improbat Lessius num. 69. Teneatur autem mater, si possit, altere filium primogenitum; quo finito tenetur pater, donec filius sua-

industria id possit, iuxta l. *Nec filium* Cod. de patria potest. & cap. fin. de conuers. in f. d. & pluribus doct. Couarruias n. 19. Molina disp. 169. & Lessius n. 70.

314 Quæritur quartò, quid sit *substitutio*, & quomplex.

Respondetur, substitutio est vnus aut plurium, in alterius aut aliorum locum, ad rem aliquam in vltima voluntate facta vocatio; quæ generatim duplex est, directa scilicet, & indirecta, iuxta Molinam tom. 1. disp. 182.

Vtraque rursus sextuplex est, nimirum vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommissaria, reciproca, & compendiosa; è quibus quatuor priores ex suo genere sunt simplices, duæ postremæ compositæ ex pluribus. Substitutio *vulgaris* est, qua testator aliam quamuis personam, iure non prohibitam, hæredi siue à se instituto, siue ab intestato succedenti substituit, casu quo ipse nolit, aut non possit esse hæres; quæ conditio in omni substitutione vulgari, vel exprimitur, vel tacite subinteligitur.

Substitutio *pupillaris* est, qua quis proli impuberi in sua potestate constitutæ aliquem substituit, si is ante pubertatem decesserit; qua fit, vt non solum bona pupilli à patre relicta, sed etiam alia ad substitutum perueniant, iuxta *S. Igitur*, Instit. de pupill. substit.

315 Substitutio *exemplaris* (velut ad exemplum pupillaris inuenta) est, qua filio amentis, vel furdo simul & muto, vel prodigo fit substitutio: quæ proinde semper etiam vulgarem continet; si contingat filium mori ante testatorem. Quod si filius nondum fuerit pubes, eadem substitutio etiam erit pupillaris; & si post pubertatem redeat ad mentem, erit etiam fideicommissaria; quia tunc substitutus succedit filio ex tacito fideicommissio.

316 Substitutio *fideicommissaria* est, qua hæres grauatur, vt hæreditatem totam, vel partem eius aliquo-  
tam restituat alteri, qui *fideicommissarius* dicitur: quæ cum sit substitutio indirecta & obliqua, potest etiam fieri codicillo; non autem ceterè, vt potest directæ; nisi quatenus ex benigna iuris interpretatione, si codicillo fiant, vim habent substitutionis fideicommissariæ, iuxta glossam communiter receptam, Instit. de vulgari substit. in princip. Hæres autem sic institutus (nisi à testatore prohibeatur, quod tamen iura Bavarica tit. 38. art. 2. non concedunt; aut nisi absque inuentario adierit hæreditatem; aut nisi id, quod ipsi à testatore assignatum, iam antea adæquer quartam partem totius, in quo institutus est) detrahere potest vsque ad quartam partem eius, in quo institutus est hæres, quæ vocatur quarta *Trebellianica*, iuxta l. 1. & seq. Cod. Ad senatuscons. Trebellianum: nisi cum substitutus est pia causa: sicut etiam in legatis pijs cessat *Falcidia*, iuxta authent. *similiter*, Cod. Ad leg. Falcid. nisi forte etiam hæres, qui grauatur, sit causa pia; quia vna causa pia contra aliam non habet priuilegium. Semper tamen hæres necessarius, siue necessarius instituendus detrahere potest legitimam, quæ fideicommissio grauari non potest.

317 Substitutio *reciproca* est, qua instituti sibi vicissim substituuntur; vt si dicas, instituo hære-

des Iacobum & Ioannem, & vos inuicem substituo.

Substitutio *compendiosa* est, quæ plures complectitur substitutiones, secundum diuersa tempora & ætates seu condiciones eorum, qui substituuntur; vt si quis dicat, Instituo filium meum hæredem, & quandocunque ex vita decesserit, substituo ei Titium; vel hoc modo: Instituo filium meum Petrum, eique vulgariter, pupillariter & fideicommissarie substituo Ioannem; nam si Petrus ante testatorem discedat, locum habebit vulgaris substitutio expressa; si postea, ante pubertatem, habebit locum pupillaris; si verò post pubertatem, locum habebit fideicommissaria. Quæ omnia post Gomezium tom. 1. à cap. 3. & Couarruiam de Testam. cap. 16. pluribus declarant Molina disp. 182. vsque ad 192. & Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 7. Vide etiam Ius Bavaricum tit. 38. art. 2.

318 Quæritur quintò, quænam sit & dicatur *legitima*, quæ hæredibus necessario instituendis semper salua esse debet.

Respondeo, eam in diuersis prouincijs & Regnis esse variam. Iure tamen communi Cæsareo, authent. nouissima, & auth. *Vnde si pater*, Cod. de inoffic. testam. ita statutum est; vt si testator quatuor, aut pauciores filios habeat, tertia pars bonorum ipsius inter ipsos æqualiter diuidatur; si vero plures sint, quæ quatuor, diuidatur dimidium bonorum illius, vt pluribus declarat Molina d. 158. Respectu vero ascendentium, Patris & Matris legitima est tertia pars bonorum, detractis videlicet omnibus alijs debitis & necessarijs impensis, vt docet idem Molina disp. 159. Idem habetur in Iure Bavarico (*Landrecht*) tit. 36. art. 1. Et infra art. 6 dicitur, nihilominus in ea prouincia validas esse renuntiationes iuratas, quas nobilium filia facere solent, post condecentem aliquam portionem siue dotem sibi assignatam. Quæ autem in legitima parte computanda veniant, habetur ibidem art. 10.

319 Quod si hæredes instituti, per legata seu particularia fideicommissa, aut ob donationes causa mortis ipsius Testatoris, ita essent grauati, vt hæreditas quartam partem omnium bonorum testatoris non conficeret, tum rursus licet hæredibus quartam *Falcidiam* ex ijs, seruata proportione detrahere, vt etiam habetur in cit. Iure Bavarico tit. 38. art. 1.

An verò communi iure, simul etiam, & seclusa quarta *Falcidia* siue *Trebellianica*, salua esse debeat, quoad descendentes & ascendentes necessarios hæredes, portio legitima, vt quidem eod. Iure Bavar. art. 6. ex parte (quoad filios) dicitur, & consentiunt Couarruias cap. 16. §. 11. n. 10. in cap. *Raputius & Rainaldus*, de testam. & Lessius n. 90. disputant Doctores, & videri potest Molina disp. 187. §. *prætermisus*, & disp. 213. An item & quomodo testamentum ob præteritionem tam descendentiũ, quam ascendentiũ sit nullum, vide apud eundem Molin. disp. 175.

320 Quæritur sexto, quænam sint Executores testamenti, & ad quid teneantur. Respondetur sequentibus pronunciatis. I. Quando à Testatore nullus constituitur executor, ad hæredes spectat, illud exequi, iuxta cap. 3. & cap. si hæredes, de testamentis. In quibusdam tamen casibus, seu debitis, id ad Episcopum spectat, vt persequitur Molina disp. 247. Alioqui standum est voluntate Testatoris.

II. Executores siue Testamentarij esse possunt non solum laici, etiam sceminae, sed etiam Clerici, & religiosi, obtenta tamen prius à Prælaro licentia, iuxta cap. *Religiosus*, de testam. in 6. & Clem. vn. eod. vbi etiam additur, eos teneri ad rationem executionis reddendam Ordinarijs.

III. Designatus executor cogi non potest ad munus obeundum, nisi postquam id semel acceptauit. Ac si munus respuat, amittit id, quod ipsi in præmium fuerat à Testatore relictum: & potest per Iudicem priuari cæteris etiam legatis siue emolumentis ex testamento prouenturis, excepta legitima portione, iuxta auth. de hæred. & Falcid.

321 IV. Quando multi sunt constituti executores testamenti, si quidam eorum sint mortui, aut alioqui non possint, vel nolint ad testamenti executionem concurrere, cæteri (quibus illorum præmia accrescunt) etiam si vnus tantum sit, procedere, possunt ad executionem, nisi Testator contrarium exprefferit, iuxta cap. *Religiosus* de testam. in 6.

V. Non licet executoribus à licita Testatoris voluntate discedere, vel in aliud (etiam melius)

commutare; nisi aut interueniente autoritate Pontificis, vel supremi Principis ex iusta & necessaria causa, iuxta Clem. *Quia contingit*, de relig. dom. & Concilium Tridentinum sess. 72. cap. 6. de reformat. aut in casu impossibilitatis, accedente simul autoritate Episcopi, seruata, quantum fieri potest, voluntate Testatoris, vt pluribus docet Molina disputat. 249.

VI. Cura & compulsio, vt testamenta executioni mandentur, communi iure mixti est fori, & spectat tam ad Episcopos, eorumque vicarios, quam ad seculares Principes & Iudices, iuxta præuentionis ordinem, vt tradit Molina disputat. 250. Executores verò (vbi aliud à Testatore non est præscriptum) pialegata, intra sex menses à die inscriptionis & notitiæ testamenti; cætera verò saltem intra annum, sub graui poena exequi tenentur. Imò in foro conscientie peccant, quando-  
cunque sine causa executionem differunt. Vide

Molinam disp. 251. Atque hæc de  
Testamentis.

## QVÆSTIO VIII.

### De Iniustitia; seu vitijs Iustitiæ oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 59. 63. 64. 65. 66. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78.



1 **N**decim vitia iustitiæ opposita commemorat S. Thomas; nimirum acceptionem personarum, homicidium, mutilationem, furtum, rapinam, contumeliam, detractionem, susurrationem, derisionem, maledictionem, usuram; de quibus sparsim & interpolatim per plures questiones tractat. Nos hanc materiam & questionem quing. dubitationibus absoluemus. I. Quid, & quotuplex sit Iniustitia in genere; & quomodo committatur. II. De acceptione personarum, vitio Iustitiæ distributiue opposito. III. De vitijs Iustitiæ commutatiue oppositis; ac primum homicidio, mutilatione, verberatione, & incarceratione, quibus damnum corpori infertur. IV. De furto, rapinâ & usuris; quibus damnum bonis fortuna infertur. V. De contumelia, detractione, susurratione, derisione, maledictione, que verbo consummantur, & potissimum honorem ac famam ledunt.

2 Cuius distributionis hæc ratio est. Triplex enim est Iustitia, legalis, distributiua, & commutatiua; legalis sicut non habet propriam materiam, in qua versatur, ita etiam Iniustitia eidem opposita vagatur per materiam omnium vitiorum; que proinde non habet opus peculiari explicatione. Iustitia distributiue opponitur acceptio personarum, de qua dub. 2. Iustitia commutatiua pro varietate iniuriæ, vel damni iniuste illati, varia opponuntur vitia. Quædam enim factio externo consummantur; eaque rursus vel damnum corpori inferunt, de quibus dubio 3, vel bonis fortuna, de quibus dubio 4. Quædam verbis consummantur, de quibus dubio 5.

Præmittuntur autem hoc loco ea vitia, quibus damnum infertur anima, iuxta dicta quest. 6. dub. 3. non solum quia nullum peculiare nomen habent; sed etiam quia materiam communem habent vitijs quibusdam, que alijs virtutibus opponuntur, vt scandalo, veneficio seu magia; è quorum explicatione, adiunctis simul ijs, que partim cit. questione 6. dub. 3. diximus, partim de vitijs corpori damnum inferentibus dicentur, facile intelliguntur.